MARCI TVLLII
CICERONIS
TOPICA.

PETRI VELLEII
Gueuaræ notis ex-
plicata.



HISPALI
Apud Alfonſum Eſcribanum,
via Serpentina.
1573.

EL REY.

POR quanto por parte de vos don Pero Velez de Gueuara Prior y canonigo en la sancta yglesia de la ciudad de Seuilla, nos fue hecha relaciō que vos auiades fecho vn libro, intitulado Annotaciones, sobre los Topicos de Ciceron, el qual era muy vtil y prouechoso para todas las professiones, suplicandonos os mādassemos dar licēcia para lo poder imprimir, y Preuilegio por veynte años ò como la nuestra merced fuesse: lo qual visto por los del nuestro consejo y como por su mandado se hizieron las diligencias que la pregmatica por nos fecha sobre la impressiō de los libros dispone. Por os hazer bien y merced fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula enla dicha razō. Y por la presente vos damos licencia y facultad para que por tiempo de diez años primeros siguientes que corran y se cuenten desde el dia dela data desta nuestra cedula, vos, o la persona que vuestro poder vuiere, podays imprimir y vender el dicho libro que de suso se haze mencion. Y por la presente damos licencia y facultad à qualquier impressor de nuestros Reynos que vos nōbraredes, para que por esta vez lo pueda imprimir, con que despues de impresso antes que se venda lo traygays al nuestro cōsejo para que se corrija con el original que va rubricado y firmado al cabo de Pedro del marmol nuestro escriuano de camara de los que residen enel nuestro consejo, y se os tasse el precio que por cada volumen vuieredes de auer. Y mandamos que durante el dicho tiempo, persona alguna sin vuestra licēcia no lo pueda imprimir ni vēder, sopena que el que lo imprimiere, ò vendiere, aya perdido y pierda todos y qualesquier libros y moldes que del traxere ò vendiere enestos nuestros Reynos Y mandamos à los del nuestro Consejo, Presidentes è Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, alguaziles de la nuestra casa y corte y chancillerias, y à todos los Corregidores, Assistente, Gouernadores, Alcaldes mayores y ordinarios, y otros juezes y justicias qualesquier de todas las ciudades, villas y lugares de los nuestros Reynos y Señorios, assi à los que agora son, como à los que Seran de aqui adelante, que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced que ansi vos hazemos, y contra el tenor y forma della no vos vayan ni passen, ni consientan yr ni passar por alguna manera sopena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Fecha en Madrid à veynte y nueue dias del mes de Agosto, de mil y quinientos y setenta y dos años.

YO EL REY.

Por mandado de su Mageštad.

Antonio de Erasso.

A 2

EL maestro Segura Cathedratico de Rethorica enla Vniuersidad de Alcala, digo que por mandado de su magestad y de los señores de su muy alto consejo, he visto con la atencion que he podido este libro de don Pero Vellez de Gueuara, sobre los Topicos de Tulio, y me paresce que no tiene cosa alguna que contradiga a nuestra sancta fe catholica, y que es libro de mucha y buena doctrina, de donde resultara gran prouecho a la republica, y que asi es muy justo que se imprima. Y firmelo de mi nombre, en veynte y vno de Agosto, de mil y quinientos y setenta y dos.

El Maestro
Segura.

ILLVSTRI
OMNIVM BONARVM
DOCTRINARVM CVL
TRICI CONSERVATRI
CIQVE MAGNAE ACA
DEMIAE SALMANTI-
CENSI PETRVS VEL-
LEIVS GVEVARA AL
TRICI PIISSIMAE
BLANDISSIMAE
BENEMERENTI
ALVMNVS NV
TRICIA.

MARCI TVLLII CICERONIS AD C. TREBATIVM TOPICA.

(:)

MAIORES NOS res ſcribere ingreſſos C. Trebati, & iis libris, quos breui tẽpore ſatis multos edidimus, digniores, è curſu ipſo reuocauit volũtas tua. Cùm enim mecum in Tuſculano eſſes, & in bibliotheca ſeparatim vterque noſtrum ad ſuum ſtudium libellos, quos vellet, euolueret, incidiſti in Ariſtotelis Topica quædam, quæ ſunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inſcriptione commotus, cõtinuo à me eorum librorum ſententiã requiſiſti. Quam ſibi cum expoſuiſſem, diſciplinam inueniendorum argumentorum, vt ſine vllo errore ad eam rationem via perueniremus ab Ariſtotele inuenta, libris illis contineri: verecunde tu quidem, vt omnia, ſed tamen vt facile cernerẽ te ardere ſtudio, mecũ, vt tibi illa traderem, egiſti. Cum autem ego te non tam vitandi laboris mei cauſſa, quã quod

inte-

intereſſe tua arbitrarer, vel vt eos per te ipſe legeres, vel vt totã rationẽ à doctiſsimo quodam rhetore acciperes, hortatus eſſem: vtrunque, vt à te audiebam, es expertus. Sed à libris te obſcuritas reiecit. Rhetor autem ille magnus, vt opinor, Ariſtotelica ſe ignorare reſpõdit. Quod quidem minime ſum admiratus, eum philoſophum rhetori non eſſe cognitũ, qui ab ipſis philoſophis, præter admodũ paucos, ignoretur. Quibus eo minus ignoſcendum eſt, quod nõ modo rebus iis, quæ ab illo dictæ & inuentæ ſunt, allici debuerunt: ſed dicendi quoque incredibili quadam cum copia, tum etiam ſuauitate. Non potui igitur tibi ſæpius hoc roganti, & tamen verẽti ne mihi grauis eſſes, (facile enim id cernebã) debere diutius, ne ipſi iuris interpreti fieri videretur iniuria. Etenim cum tu mihi, meisq; multa ſæpe cauiſſes, veritus ſum, ne, ſi ego grauarer, aut ingratum id, aut ſuperbum videretur. Sed dum fuimus vnà, tu optimus es teſtis, quam fuerim occupatus. Vt autem à te diſceſsi in Græciam proficiſcens, cum opera mea nec reſpub. nec amici vterentur, nec honeſte inter arma verſari poſſem, ne ſi tuto id quidem mihi liceret, vt veni Veliam,
tuaq;

tuaq; & tuos vidi, admonitus huius æris alieni, nolui deesse ne tacitæ quidem flagitationi tuæ. Itaq; hæc, cum mecum libros nõ haberẽ, memoria repetita in ipsa nauigatione cõscripsi, tibiq; ex itinere misi: vt mea diligentia mãdatorum tuorum, te quoq;, & si admonitore non eges, ad memoriam nostrarum rerum excitarem. Sed iam tempus est ad id, quod instituimus accedere.

PETRI VELLEI Gueuaræ ad Topica Ciceronis Notæ.

1 MARCI Tullij Ciceronis. *Cuius in Pandectarum libris mentio est in. l. 2. §. post hos quoq;. D. de orig. iur. l. Fulcinus. §. latitare. D. quib. ex caus. in pos. l. Cicero. D. de pœnis. l. littus. D. de verb. sig. idq; Forcatulus dialogo trigesimo octauo notauit. Sed & eiusdẽ, lex, in quæstionibus. D. ad leg. iul. mai. alterius vero Ciceronis meminit. l. Aurelius symphorinus. §. Meuia testamento. D. de liberat. leg.*

2 Ad C. Trebatium. *Iacobus Labittus aduertit, Trebatij scripta in Pandectis septuaginta nouem legibus citari: semel in institutionibus Iustiniani, titulo de Codicil. §. 1.*

3 Topica. *Topos, idest locus. Topicus, localis. Topice To*

pices

pices, ars inueniendi loca argumentorum. Infra, inueniendi vero artem quæ Topice dicitur. Et Topica Topicorum, eadem ars; hic in proœmio, Aristotelis Topica quædam. Et libro septimo epistolarum ad diuersos, epistola decima nona instituî Topica Aristotelica conscribere.

Maiores nos res. *Exordio, vt decet, beneuolum, docilem, attentum facit auditorem. Id per partes Boetius explicat, maiores autem res appellat moralem philosophiam, maior est enim morum ratio, quam peritia disserendi.* 4

Ingressos. *Ingredi hic est incipere. Sic est ad Atticum. Cum ingressus essem dicere. Et in Academicis quæstionib. quod nos facere ingredimur.* 5

Et iis libris. *Quidam libros de philosophia, scilicet, de finibus, de legibus, de officijs, & cæteros intelligunt. Visorius Rhetoricos potius, de Oratore, partitiones & Oratorē. Barba vtrosque.* 6

Cum enim mecum esses. *Narratio, quæ docilem reddit auditorem, & scribendi proponit occasionem.* 7

In Thusculano. *Italiæ oppido, Telegoni, Vlyßis & Circes filij ædificio, Ciceronis villa, & Catonis Censorini ortu nobilißimo. Sed eius Romani vix postea fundamenta reliquerunt: infensi quod se Federici Ænobarbi copijs iunxisset, vt libro sexto Volaterranus scribit. Nunc Frascata dicitur, ibique sua ætate, ossa Tulliæ Ciceronis filiæ inuenta, Beroaldus ait.* 8

Pluribus libris. *Topicorum libros octo scripsit Aristoteles quos latinos fecit Boetius.* 9

B Discipli

10 Diſciplinam inueniendorum argumẽtorum. *Breui propoſitione finem operis & ſummã oſtendit: ſimul que auditorem docilem redit.*

11 Verecunde tu quidem. *Captat beneuolentiam à perſona auditoris.*

12 Non tam vitandi laboris mei cauſſa. *Excuſatio ne lenit Trebatij animum, ſi forte erat ſubiratus, quod Cicero id ſibi non conceſſiſſet.*

13 Per te ipſe legeres, vel vt totam rationẽ. *Nam & exercitatione & interprete doctoreq; opus eſſe ad hãc artẽ, Cicero ad Trebatiũ ſcribit, lib. 7. epiſt. decima nona.*

14 A libris te obſcuritas reiecit. *Propoſita rei difficultate redit Trebatium attentum. De Ariſtotelis in ſcribendo obſcuritate, Viſorius ex Rodolpho & Themiſtio quædam, alij autores multa tradiderunt.*

15 Rhetor autem ille magnus. *Ironia.*

16 Minime ſum admiratus eum philoſophum. *Hic quoque attentionem captat: quia aliorum ſegnitie & negligentia reprehẽſa, nos efficimur diligentiores. Sed & beneuolus quoq; Trebatius fit dũ eo nomine laudatur, quod curioſe extra ſuam profeſſionem inquirat ea, quæ turpiter ipſius artis lateant profeſſores.*

17 Sed dicẽdi quoque incredibili quadã, cum copia, tum etiã ſuauitate. *Cicero in Oratore. Theophraſtus diuinitate loquẽdi nomen inuenit, & Ariſtoteles Iſocratem ipſum laceſſiuit. Et in Lucullo. Veniet illud flumen orationis aureum fundens Ariſtoteles. Et rurſus ibidem.*

Aut

Aut ipsum Aristotelem, quo profecto nihil est acutius, nihil politius. Quintilianus lib. 10. Quid Aristotelem? quem dubito sententia rerum, an scriptorum copia, an eloquentiæ suauitate, an inuentionum acumine, an varietate operũ clariorem putem.

Ne ipsi iuris interpreti. *Ratio ex circunstantia, qua per amplificationem personæ captat beneuolentiam.* 18

Aut ingratum, id aut superbum videretur. *Ingratum, cum tu mihi meisq; sæpe cauisses: superbum, si tibi sæpius hoc roganti negarem.* 19

Cauere. *Vt Brissonius, Hotomanus, Brechæus notãt verbum fuit iurisconsultorum proprium, qui aliis cauere dicebãtur, cũ ne ab aduersario caperentur, certis adhibitis formulis prouidebãt. Vnde Cicero in epistola ad Trebatium. Tu qui cæteris cauere didicisti, in Britannia ne ab essedario decipiaris caue. Et Plautus in Epidico. Hic poterit cauere recte iura, qui et leges tenet.* 20

In Græciam proficiscens. *Cum libera legatione vt ipse refert in epistolis ad Atticum. Et in oratione pro. l. Flacco. Et Philippica prima.* 21

Nec honeste inter arma. *Extincto enim à cõiuratis Cæsare, Antonius tyrannidem affectabat.* 22

Vt veni Veliã. *Mela libro secũdo, capite quarto. Hinc in Thuscum mare deflexus est, et eiusdẽ terræ latus alterum, Terina, Hippo nunc Vibon, Tempsa, Clampetia, Blanda, Buxentum, Velia, Palinurus, olim Phrygii gubernatoris, nunc loci nomen: Pestanus sinus, Pestum oppidum,* 23

Silarus amnis, Picētia: petræ quas Sirenes habitauere, Minerua promōtoriū, opima Lucaniæ loca. Et Plinius libro tertio. cap. quinto. Tenuerūt eam Pelasgi, Oenotri, Itali, Morgetes, Siculi, Græciæ maximæ populi, nouißime Lucani à Samnitibus orti duce Lucio. Oppidum Pæstum, Græcis Posidonia appellatum, Sinus Pæstanus, oppidū Helia quæ nūc Velia, Promontorium Palinurum. Et Volaterranus libro sexto. Elea vrbs vnde Eleates: Elienses vero ab Elide, Piseá hinc Zeno stoicus et Parmenides fuere, hanc Plinius Phocensium ædificium esse dicit, vocatamq́; suo tēpore Veliā. Et Gellius lib. decimo, cap. decimo sexto, ex Higino. Velia oppidū, à quo portus qui in eo loco est Velinus dictus, Seruio Tullio regnante Romæ conditum in agro Lucano et eo nomine appellatum est, nam qui ab Harpalo, regis Cyri præfecto ex terra Phocide fugati sunt, alij Veliam, partim Massiliam condiderunt.

24 Memoria repetita. *Reddit atentiorem, proposita breuitate rei.*

25 Ex itinere missi. *Ex Rhegio oppido, vt cōstat ex episto la decima nona, libro septimo.*

26 Et si admonitore non eges. *Excusat sedulitatem admonitionis, ne videatur exprobratio immemoris beneficij, et accusatio obliuionis.*

CVm omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, vnam inueniendi, alteram iudicandi, vtriusque princeps, vt mihi quidē videtur, Aristoteles fuit. Stoici autē in altera elabo

elaborauerunt. Iudicandi enim vias diligēter persecuti sunt, ea scientia, quam Dialecticem appellāt. Inueniendi vero artem, quæ Topice dicitur, quæ & ad vsum potior erat, & ordine naturæ certe prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in vtraque summa vtilitas est, & vtranque, si erit ocium, persequi cogitamus, ab ea, quæ prior est, ordiemur. Vt igitur earum rerum, quæ absconditæ sunt, demonstrato, & notato loco facilis inuentio est: sic, cum peruestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus. Sic enim appellatæ ab Aristotele sunt hæ quasi sedes, è quibus argumenta promuntur. Itaque licet deffinire, locum esse argumenti sedem: Argumentū autem, rationē, quæ rei dubiæ faciat fidem.

Cum omnis. *Cicero libro quarto de finibus. Cum duæ sint artes quibus perfecte ratio & oratio compleatur, vna inueniendi, altera differendi, hāc posteriorem & Stoici & Peripatetici, priorem autē hi egregie tradiderunt, illi ne attigerunt quidem. Nam è quibus locis quasi thesauris argumenta depromerentur, vestri ne suspicati quidem sunt, superiores autem artificio & via tradiderunt.* 1

Ratio diligens differendi. *Eadem Periphrasi, libro secundo de finibus eam facultatem notat, quam Plato in Sophista, & Agricola libro secundo de Inuentione Diale-* 2

cticam appellant, Aristoteles Logicam.

3 Duas habeat partes. *Quintilianus libro quinto, capite postremo. Namq; illi homines docti, & inter doctos verum quærentes minutius & scrupulosius scrutantur omnia & ad liquidum confessumq; perducunt, vt qui sibi & inueniendi, & iudicandi vendicent partes, quarum alteram Topichin alteram Chritichin vocant. Atq; hæc est altera logicæ partitio, primæ, vt Boetius docet, cognata: quæ deffinire, partiri, & colligere logicam dicit: rursus collectionis demonstrationem, Dialecticam, Sophisticam facit partes.*

4 Vtriusque princeps, vt mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. *Qui inueniendi viam, octo libris Topicorũ: iudicãdi, tribus Analiticõ hysteron, duobus Analiticon proterón, duobus Elenchorum, alijsque persecutus est.*

5 Stoici. *Ab Stoa, quod significat porticum. Erat enim Athenis porticus dicta Pæcile à varietate picturæ: Piichilon enim est varium: eam Polygnotus pinxit gratuito, ibi Zeno docebat, à quo Zenonij siue Stoici. Vnde stoicus, & stoice, & apud Iuuenalem Satyra secunda, Stoicida.*

6 Dialecticem. *Nam Dialectice dialectices, & Dialectica dialecticæ dicitur. Cicero in Brutto, eam cõtractam eloquentiam appellat. Et in Oratore atq; libro secundo de finibus ait, Zenonem palmæ rhetoricam, pugno dialecticam comparasse. Illud præterea notandum, dialecticam genus habere, Topicam & Dialecticam species: sicut adoptio, arrogationem habet & adoptionem.*

Ad vsum potior erat. *Inuentio sine iudicio, non equidem multum, aliquid tamen prodesse poterit: at sine inuentione iudicium prodesse tantum abest vt posit, vt nec esse quidem poßit, nam cum ea sit,* Et ordine naturæ certe prior, *fieri non potest vt de inuentione iudicetur, nisi ea prius extiterit. Si quis & inuentione se armauerit & iudicio, is & suis & publicis rationibus erit vtilißimus.* 7

In vtraque summa vtilitas. *Quanta ea sit docet Cicero libro primo de Oratore, & in Brutto. Aristoteles in Topicis. Titelmanus in prologo Dialecticæ, capite quinto.* 8

Locos nosse debemus. *Non vt inueniamus, id enim nobis natura est insitum, sed vt facilius inueniamus, eaq; quæ probare poßint quod defendimus.* 9

Sic enim appellatæ ab Aristotele sunt hæ quasi sedes vnde argumenta promũtur. *Maximas, idest vniuersales ac notißimas propositiones, ex quibus syllogismorum conclusio descendit, in Topicis ab Aristotele locos appellatas esse Boetius scribit. Nimirum quia quod maximæ sunt, idest vniuersales propositiones, reliquas in se velut loci corpora complectuntur: quod vero notißimæ atq; manifestæ sint, fidem quæstionibus præstent, eoq; modo ambiguarum rerum contineant probationes: quod pluribus verbis explicat idem Boetius.* 10

Itaque licet deffinire, locum esse argumenti sedem. *Sic & Quintilianus libro quinto, capite decimo. Locos appello, nõ vt vulgo nunc intelliguntur, in luxuriam & adulterium & similia, sed sedes argumentorum, in quibus* 11

latent, & ex quibus sunt petenda. Idemq; Alexander Aphrodisæus & Rodolphus Agricola scripserunt. Distāt autē Topica Ciceronis atq; Aristotelis, vt rectè Boetius docet, quod Aristoteles differit de maximis propositionibus, quas pro locis argumētorū posuit: Cicero nō ipsas maximas propositiones, sed earum continentes differentias, locos vocat, ac de his docet. Possunt namq; maximæ illæ, multæ quantumuis et penè innumerabiles, in paucas colligi differētias: vt aliæ in genere, aliæ in deffinitione, aliæ in alio modo consistant: omnes præterea, quæ, verbi gratia, sub deffinitionis rationem cadunt, vno deffinitionis nomine comprehendi. Rectè igitur gl. in extrauag. Prouide. de sententia excom. in communib. Cum loci quinque tradit significationes, ait. Tertio modo pro efficatia argumenti: vt est locus maxima, vel differentia maximæ: secundum quod dicitur ab artistis, locus est sedes argumenti, vel illud à quo extrahitur argumentum.

12 Argumētum autem rationem quæ rei dubiæ faciat fidem. *Idest probabilem excogitationem ostēdentem id, de quo quæritur verum esse, vel falsum. Cicero in partitionibus, argumentum dicit esse probabile inuentum ad faciendam fidem. Et libro primo de Inuentione, Inuentum ex aliquo genere, rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessarie demonstrans. Quintilianus libro quinto capite decimo, Argumentū est ratio probationē præstans, qua colligitur aliquid per aliud, et quæ, quod est dubium, per id quod dubium non est, confirmat: et Agricola*

libro

libro secũdo capite decimo tertio. Fides, inquit, quæ fit oratione, est quæ conficitur argumentando, cum rem dubiã probabili colligimus argumento. Cæterum, vt Boetius scribit, integram argumenti deffinitionem Cicero posuit hoc loco, ex genere & duabus differentijs: genere quidem, ratione: vna vero differẽtia, quod faciat fidem: altera quod rei dubiæ. Tota deffinitio, argumentum est ratio quæ rei dubiæ faciat fidem. Aliàs Quintilianus notat, omnem ad scribendũ destinatam materiam argumentum appellari: quim et vulgo paulò numerosius opus, dici argumentosum. Quid autem inter argumẽtum et argumẽtationem distet, Boetius et Foxius tradiderunt.

SED ex his locis, in quibus argumẽta inclusa sunt, alij in eo ipso, de quo agitur, hærẽt: alij assumuntur extrinsecus. In ipso, tum ex toto, tum ex partibus eius, tum ex nota, tum ex his rebus, quæ quodam modo affectæ sunt ad id, de quo quæritur. Extrinsecus autem ea dicuntur, quæ absunt, longeq; disiuncta sunt. §. I.

1 SED ex his locis. *Aristoteles, vt Foxius notat, locos nõ distinguit, sed quatuor dum taxat genera quæstionum tradit, ad quæ loci omnes redigantur. Vnde libro primo Topicorũ ait. Omnis enuntiatio, atq; omnis quæstio vel ad genus, vel proprium, vel accidens, vel ad deffini-*

tionem refertur. Sunt qui locos in maximas propositiones & in maximarum differentias diuidant: alij in eos qui substantiæ insint, aut in eos qui extra substantiam sint positi, aut in medios. Alij in eos qui vel in ipso sint de quo agitur, vel aliunde trahantur, vel aßumantur extrinsecus. Itaq; aliter Aristoteles, aliter Cicero, aliter diuus Augustinus, Themistius, Gamarus, aliter Agricola, Titelmanus Barba, aliter Trapezuntius, aliter Bucoldianus. Sed & è nostris Albericus, Speculator, Baldus, Euerardus, Cantiuncula diuersam sequuti sunt viam: Namq; alij s aliæ res, arridentque, placentque. Vt est apud Homerũ. Sed profecto, vt recte Boetius scribit, nihil Ciceronis deffinitioni ac diuisioni posse videtur addi, vel minui: quoniam quidem breuiter cuncta complectitur.

2 In eo ipso de quo agitur. *Omnis propositio, omnisq; quæstio prædicato constat atq; subiecto. Cum enim vtraque affirmationem habeat & negationem, id in omni ambiguitate quæritur, vtrum prædicatus terminus subiecto insit, an non. Itaq; prædicatũ vel subiectũ esse ipsum, de quo agitur, Boetius, Latomus & Barba putauerunt. Verum hi termini per se neq; argumenta sunt, neq; præstare argumenta poßunt: alioqui dubitatio nulla esset. Sumenda sunt argumẽta vel ex his quæ in ipsis terminis insunt, vel extrinsecus posita sunt: modo, vt est apud Agricolam, consentanea termino sint, & à proposita re non abhorrentia.*

3 Herent. *Loci igitur ab terminis quibus insunt diuersi sunt. Vnde sequitur.*

In

In ipso tum ex toto. *Quasi aliud sit ipsum quam totũ Cũ enim terminus in quæstione positus deffinitionẽ habeat, partes, nomẽ & relationem ad aliquid; alium, vt est apud Boetiũ, necesse est esse intellectum rei quæ cõplicata atque inuoluta est; alium eiusdem rei explicatæ & dissertæ, quod facit deffinitio, si vt Quintiliano placet, est rei propositæ propria, dilucida & breuiter comprehensa verbis enuntiatio. Etsi igitur vnũ idemq; est deffinitionis & deffinitæ rei subiectũ, tamẽ nemo non aliter afficitur prolato nomine homo, aliter audita deffinitione, homo est animal rationale mortale. Deffinitionem Cicero appellat totum vel quod totã rei substantiam breuiter declaret, proposita, vt Aristoteles libro septimo Topicorũ ait, essentia & natura rei: vel quod omne id de quo agitur, genere, auctore Porfirio, tanquã materia, & differentia quasi forma constet, deffinitio vtranq; partem comprehendat. Atq; hæc Visorius & Barba probauerunt.* 4

Tum ex partibus eius. *Boetius & Barba dicũt, quæ supra in deffinitione sunt dicta de partibus quæ substantiam iungunt, ad eas quoq; partes transferenda esse quæ magnitudinem copulant. Itaq; licet nihil aliud sit domus quam quod fundamento, parietibus & tecto continetur, tamen non eundem habemus intellectum cum domum integram, quem cum eius partes consideramus. Eoq; sensu partes in eo ipso de quo agitur herent, nec idem sunt.* 5

Tum ex nota. *Quintilianus libro primo capite nono.* 6

nono. Etymologia, inquit, quæ verborum originem inquirit, à Cicerone dicta est notatio, quia nomen eius apud Aristotelem inuenitur Symbolon, quod est nota: nam verbum ex verbo ductum, idest Veriloquium, ipse Cicero qui finxit reformidat. Sunt qui vim potius intuiti, Originationem vocent. Ex nota autem locum ab eo termino diuersum, esse qui in quæstione constituatur, apertissimum esse Boetius & Barba recte putat. Quis enim dicat, id esse cuiuslibet rei vocabulum, quod res ipsa est quam designat? Imo Rodolphus notam à substantia separat, & inter locos externos cõnumerat, fortuitam, vt Latomus ait, verbi conditionem spectans, quæ addi potest rei, & detrahi: Cicero sensum potius attendens, qui non separatur à re, sicut nec deffinitio à deffinito, notam herere rei de qua agitur, potius scribit.

7 Tum ex ijs rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id dequo quæritur. *Hæc quoque etsi extra posita videantur, terminũ tamen, vt Boetius notat, in quæstione propositũ velut è regione respiciũt, ideoq; affecta dicuntur. Verbo, vt est apud Gelliũ libro. 3. cap. 16. non vulgariæ significationis. Affecta enim, inquit, sicuti M. Cicero & veterũ elegantissimi locuti sunt, ea propriè dicebãtur, quæ non ad finem ipsum, sed proximè finem progressa deductáue erant. Hoc verbum ad hanc sententiam in Ciceronis oratione fuit, quam dixit de prouincijs consularibus. Quæ vero Cicero affecta ad id de quo quæritur, Boetius in relatione posita dixit, Quintilianus ad aliquid, sic enim scribit*

ſcribit libro quinto capite decimo. Cicero genus & ſpeciẽ, quam eandem formam vocat, à finitione diducit, & ijs quæ ad aliquid ſunt, ſubijcit. Idq; à quorundam calumnia Viſorius defendit.

Extrinſecus autem dicuntur, quæ abſunt longeq; diſiuncta ſunt. *Scilicet ab eo de quo agitur: qualia ſunt teſtimonia. Hic multa Boetius quærit, multa Viſorius, quæ tranſcribere, ad me pertinere non arbitror.* 8

SED ad id totum, de quo diſſeritur, tum definitio adhibetur, quæ quaſi inuolutũ euoluit id, de quo quæritur. Eius argumenti talis eſt formula: Ius ciuile eſt æquitas conſtituta ijs qui eiuſdem ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinẽdas. Eius autem æquitatis vtilis eſt cognitio, vtilis eſt ergo iuris ciuilis ſcientia. §.II.

Sed ad id totum de quo diſſeritur. *Ad totum, vt Viſorius notat, tres loci adhibentur, qui totam eius de quo diſſeritur ſubſtantiam complectuntur. Definitio, partes, nota. Nam & definitio propoſito genere & differentijs, quibus terminus conſtat omnis: partitio enumeratione partiũ, quas ſimul toto eſſe æquales neceſſe eſt: nota per etymologiam: id de quo agitur, quaſi inuolutum euoluunt.* 1

Tum definitio adhibetur. *Definiẽdi leges, huiusq; loci vſum abunde explicant, præter Ariſtotelis & Ciceronis interpretes, Titelmanus libro quinto Dialecticæ capite tertio* 2

tertio. Bucoldianus libro primo de Inuentione. Atq; ex nostris, multis è iure propositis exemplis Euerardus in cẽtum locis cap. tertio. Cantiuncula in Topicis legalibus. Appellus in methodica Dialectices ratione ad iuris prudentiam accommodata cap. primo. Gamarus lib. primo Dialecticæ legalis. Quanquam autem multi sunt definitionum modi, ad duo tamen referri posse Foxius ait, Vsióden siue substantialem, Hypographichen idest descriptionem.

3 Quæ quasi inuolutum euoluit id de quo quæritur. *Id enim est propriũ definitionis munus. Vnde apud eundem Ciceronem libro primo de Oratore. Præcipit ratio atq; doctrina, vt vis eius rei quã definias, sic exprimatur, vt neq; absit quidquã, neq; superfit. Idẽ in Oratore scribit. Definitio est oratio, quæ quid sit id, de quo agitur ostendit quam breuißime. Et ad Heren. lib. quarto. Definitio est quæ rei alicuius proprias amplectitur potestates breuiter & absolute. Quintilianus quoq; lib. septimo cap. quarto. Finitio est, inquit, rei propositæ, propria & dilucida, & breuiter comprehensa verbis enunciatio. Atque Aristoteles libro primo & secũdo. Topic. ait. Definitio est quæ quid res sit significat. Et idẽ Gellius probat. lib. quarto cap. primo. Et sensit Bartol. & iuris interpretes in. l. 1. ff. de Testam. Cardin. in. c. Perpẽdimus. De sentent. excom. Alciat. lib. quarto paradox. cap. primo. Et lib. sexto cap. nono. Quæ cum ita sint, rectè Cicero in Oratore ad Brutum. Quoniam in omnibus, inquit, quæ ratione docentur, & via, primũ cõstituendũ est quid, quidque sit, nisi enim inter eos qui disceptent,*

conuenit

conuenit, quid ſit illud, de quo ambigitur, nec recte diſſeri, nec vnquam ad exitum perueniri poteſt: explicãda eſt ſæpe verbis mens noſtra de quaq; re: atque inuolutæ rei notitia definiẽdo aperiẽda eſt. Quod idem & lib. primo de finibus. Et lib. primo de officijs dixit. Et apud Platonem eſt in Phedro ſiue de pulcro. Et apud Vlpianum in l. prima. ff. de Iuſtit. & iure. Et in. l. prima. ff. de rebus creditis.

Eius argumẽti talis eſt formula. *Quæſtio eſt, an iuris ciuilis cognitio, vtilis ſcientia ſit. Ideſt, an ſciẽtia vtilis quæ oratio vicem tenet prædicati, cõueniat ſubiecto, hoc eſt iuri ciuili. Maxima propoſitio extra ſyllogiſmũ eſt, atq; ad differẽtiã definitionis pertinet. Ea eſſe videtur. Quod definitioni conuenit, conuenit & definitæ rei. Quã & Bartol. ĩ. l. 1. ff. de teſta. & Abb. in Rub. de ſẽtẽt. exco. probauerũt.* 4

Ius ciuile eſt æquitas conſtituta ijs, qui eiuſdẽ ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas. *Æquitatẽ loco generis bene poſuit. Nã & Alciatus libro ſecundo Parergon. cap. vndecimo, ait. Nihil aliud eſſe ius, quam epiicheian in artẽ redactã. Et Hotomanus de verbis iuris. Itaque proprie, inquit, nihil aliud æquũ aut æquitatẽ eſſe, quam ius, facile mihi perſuadeo. Apud Connanũ quoq; lib. primo Cõment. cap. 11. ita ſcriptũ eſt. Æquitatis hoc vnũ & ſolum negociũ eſt, legum ſcriptarũ volũtates, & quaſi cognitiones omnes & ſenſus bene noſſe, eosq; pro ſua bonitate adducere ad naturalem rationem. Differentias quoque recte Cicero addidit: inter quos ſit: & ad quẽ finẽ cõſtituta æquitas. Ideſt, materiã & finem: quia, vt idẽ in libris de* 5

Oratore

Oratore, & in orationibus sæpius ait, legitimam in rebus causisque ciuium æqualitatem conseruare, scopus est iuris ciuilis: cuius recta ex supradictis cõstituitur definitio. Quã Corasius de iuris arte, prima parte, cap. vigesimo primo: et secunda parte cap. decimo: Hotomanus in Partitionibus iuris ciuilis. cap. primo: Brissonius lib. primo, de verborũque ad ius pertinent signific. probauerunt.

§. III. TVM partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo: si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber: neque est vlla earum rerum, non est igitur liber.

1 Tum partium enumeratio. *Quæstio an Stichus, quẽ seruum fuisse constabat, libertatem sit cõsequutus. Stichus subiectum est: prædicatũ, libertas: Maxima propositio, totũ ei coniungi nequit, cui nulla cõuenit partium. Hic locus, vt lib. quinto, cap. decimo, Quintilianus scribit, et ad probandũ valet, & ad refellendum. Probãti interim satis est vnũ habere, hoc modo: vt sit ciuis, aut natus sit oportet, aut factus. Negãti vtrunque tollendum est, nec natus, nec factus est. Fit hoc & multiplex, ideoq; argumentorũ est genus ex remotione, quo, modo efficitur totum falsũm, modo id quod relinquitur verũm. Totum falsum est hoc modo: pecuniam te credidisse dicis, aut habuisti ipse, aut ab aliquo accepisti aut inuenisti, aut surripuisti. Si neq; domi habuisti, nec ab alio*

alio accepisti, nec cætera, non credidisti. Reliquum fit verum sic: hic seruus quẽ tibi vendicas, aut verna tuus est, aut emptus, aut donatus, aut testamento relictus, aut ex hoste captus, aut alienus. Deinde, remotis prioribus, supercrit alienus. Boetius ait partes duobus modis dici: vel species, quæ nomen totius integrũ capiũt, velut homo & equs, vtraq; animalia nuncupãtur: vel membra, quæ coniuncta, totius capiunt nomen, singula non ita: nam fundamenta, parietes, tectum simul domus dicuntur: fundamẽta per se, domus non sunt, neq; parietes, neq; tectum. Sed quod de membris dicitur, Cantiuncula & Appellus ex parte verum putãt, ex parte falsum: nam partes Homogenis singulas totius nomen sortiri constat, siquidem quælibet pars aquæ, aqua est. Et quamlibet fundi partem, dici fundum probat .l. locus. ff. de verb. sig. Sunt huius argumentationis ab enumeratione partium passim in iure exempla in .l. filius. §. filius familias. ff. de lib. & post. c. venerabilem. De elect. c. quãto. De iur. iur. c. si vir. De cogn. Spir. c. Inquisitioni. De sentent. exc. Cuius vsum præter Aristotelem lib. secundo Topic. Gelliũ lib. secundo. Noct. att. cap. septimo. Lib. quinto cap. vndecimo. Lib. septimo cap. tertio. Copiose docent Euerardus loco nonagesimo sexto. Cantiuncula loco sexto, & octauo. Gamarus lib. secundo. Appellus cap. secũdo. Bucoldianus lib. primo cap. septimo. Et Titelmanus lib. quinto cap. trigesimo oct. & nono.

Neque censu. *De eiusmodi libertate, Cicero lib. primo de Oratore, ait. Quid de libertate? quo iudicio nullũ grauius* 2

esse potest? nonne ex iure ciuili potest esse contẽtio, cũ quæritur is, qui domini voluntate census sit, si lustrũ non sit cõditũ, sit ne liber? Et Vlpianus titulo primo, ex triginta, scribit. Censu manumittebantur olim, qui lustrali censu Romæ iussu dominorum, inter ciues Romanos censum profitebantur. Sigonius libro primo de antiquo iure ciuium Rom. cap. sexto putat, manumissionem per cẽsum, Seruium Tullium regem instituisse, quod is & census auctor fuerit, & seruis liberandis initium attulerit.

3 Neque vindicta. *Vlpianus, vindicta, inquit, manumittuntur apud magistratum: velut Prætorem, Consulem, Proconsulem: Et Sigonius ait. Vindictæ rationem intulisse fertur P. Valerius Poplicola anno post reges exactos, cum de premijs vindicis serui, qui coniurationem indicauerat, ad populum tulisset. A quo etiam vindictæ nomen ductum existimant. Inter quos est Liuius qui ita scribit. Premium indici pecunia ex ærario, libertas & ciuitas data. Ille dicitur vindicta liberatus. Quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant, vindici ipsi nomen fuisse. Post illum obseruatum, vt qui liberati essent, in ciuitatem accepti viderẽtur. Quæ verba cũ, vt opinor, Plutarchus legisset, ea ita in Poplicola explanauit, vt scripserit Valerium decreuisse vt vindex primus Libertinus ciuis Romanus fieret, & in qua vellet tribu suffragiũ ferret. Itaque in libro etiã, quẽ de sera Dei vindicta reliquit, scripsit. Romanos, corũ corporibus, quos in libertatẽ assererẽt, tenuẽ festucã imposuisse. Hæc potestas post à Cõsule ad Prætorem*

torem Vrbanũ trãſlata eſt, vt vindicta, ideſt, virga in caput impoſita manumitteret: quam intellexit Perſius Satyra quinta cum cecinit. Vindicta poſt quam meus à Prætore receſſi, Cur mihi non liceat, iuſſit quodcunq; volũtas? & Cicero in Rabiriana cũ dixit. Seruos noſtros omniũ ſuppliciorũ metu dominorũ benignitas vna vindicta liberat. Eſt libro quadrageſimo Pãdectarũ Titulus de manumiſſis vindicta. Et libro ſeptimo Codicis titulus de vindicta libertate et apud conciliũ manumiſſione: quibus, iura huius manumiſſionis explicãtur. Eius autẽ ſolẽnia verba, Briſſonius lib. 1. ſelect. c. 11. & Rævardus lib. 4. variorum. c. nono poſuerunt.

Nec teſtamento. *De hoc quoque genere multa ſunt in prædictis libris, & Iuriſcõſultorũ reſpõſa & placita impp. Sed an id originẽ à. 12. tab. duxerit, Sigonius dubitat, in quibus cũ eſſet: vti ſuæ rei quiſque legaſſit, ita ius eſto. Interpretatur Pomponius, etiam ad manumiſſiones pertinere, vt quotquot è ſuis quiſque ſeruis, liberos relinquere vellet, poſſet. Vlpianus ſine dubitatione ſcribit, vt teſtamento manumiſſi liberi ſint, lex. 12. tab. facit, quæ confirmat quod datum legatum eſt; quod recte ibi interpretatur Cuiacius.* 4

Si neque cenſu neque vindicta nec teſtamẽto liber factus eſt, nõ eſt liber. *Quid ita? nõne vt Iuſtinianus Imp. lib. 1. Inſtit. ſcribit, multis modis manumiſſio procedit? aut enim, inquit, ex ſacris coſtitutionibus in ſacroſanctis eccleſijs, aut vindicta, aut inter amicos, aut per epiſtolam, aut per teſtamentum, aut per aliam quãlibet vltimam voluntatẽ. Sed & alijs multis modis libertas ſeruo* 5

competere potest, qui tam ex veteribus, quam ex nostris constitutionibus introducti sunt. Procedit certe, sed nunc Cicero de propria & maxima libertate agit, non de media aut minima, de quibus Alexander ab Alexandro lib. quarto Gen. dier. cap. decimo. Politianus. cap. octuagesimo quarto Miscell. Antonius Augustinus lib. tertio emendat. cap. septimo. Alciatus. in. l. liberti. ff. de verb. sign. & lib. primo Parer. cap. decimo sexto. Plura tradiderunt. Maxima igitur, quæ eadem legitima dicebatur libertate, Ciuitatem simul Romanã manumissus consequebatur. Erat autẽ ea tã tum legitima, Ciceronis ætate, quæ vindicta, Censu aut testamento daretur. Et ita Vlpianus scribit titulo primo: Ciues Romanos esse libertos qui vindicta Censu aut testamẽ to, nullo iure impediente manumissi essent. Cæteros manumissionis modos ciuitatem non præstitisse Hotomanus probat in indice legum Romanarum dum ait. Tullere. M. Iunius Silanus. L. Norbanus Balbus Coss. an. D C C L X X I. Vt ij serui qui neque Cẽsu, neque vindicta, neq; testamento, sed aut per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione liberi fierent, non ciues Romani, sed eodem iure, quo latini coloni essẽt. Quæ quidẽ omnia Theophilus lib. primo institutionũ tituloquinto exactius est persecutus, quare operæ pretiũ erit eius verba recitare. Est, inquit, apud Romanos legitima ætas, est & naturalis ætas. Est legitimũ dominiũ, est & naturale dominiũ. Est legitimus modus manumissionis, est & naturalis modus manumissionis. Et naturalis quidẽ ætas est, quæ minor est triginta annis, legitima vero,

ro, quæ maior est anno trigeßimo. Nõ quod ætatẽ maiorem triginta annis, natura nõ agnoscat, quoniã omnis ætas naturalis est. Sed quod specialiter lex, ætatis quæ annos triginta excedit meminerit, ideo dixi hanc ætatem esse legitimã. Est etiam vt dixi naturale dominium, est & legitimum dominium. Et naturale dominium dicitur in bonis, & dominus bonorum dominus. Legitimum vero dicitur iure Quiritum idest Romanorum. Romani enim Quirites à Romulo, à quo originem ducunt vocantur, & dominus dicitur, iure Quiritũ dominus. Quod si quis vtrunque dominiũ habeat, is pleno iure dominus dicitur: vt ambo dominia habens naturale & legitimum. Est & legitimus modus manumißionis, & naturalis modus manumißionis: & legitimus modus tribus modis procedit, Vindicta, Censu, Testamento. Et vindicta erat apud magistratum facta manumißio. Dicta est autem vindicta quod vindicaretur mancipium in naturalem libertatem: aut à Vindicio quodam, qui cum seruus esset, eruptã aduersus Romanos coniurationẽ indicio suo patefecit; publiceque à Romanis manumissus est: & in honorẽ eius, quicũque apud magistratum manumittuntur, vindicta manumitti dicebantur. Quæ autem Censu fiebat manumißio, ea in hunc modum procedebat. Census significat tabulam aut chartam, in qua Romani facultates suas conscribebãt, vt belli tempore, pro modo patrimonij sui, vnusquisq; conferret. In hoc igitur censu, cum iussu domini seruus se liberum scribebat, liberabatur à seruitute. Testamento vero, cum quis seruũ suum in testamẽto liberum esse iußisset.

Naturales quoq; modi manumißionis erant tres: inter amicos, per mensam, & per epistolam. Et quidem inter amicos, cum præsentibus amicis quempiam manumittebāt. Per mēsam vero cum libertatis dandæ gratia, seruum conuiuio adhibebant. Per epistolam quando alijs in locis agenti, missis literis permittebant, vt liber viueret. His ita præcognitis, videto nunc rem de qua agimus. Cum in manumittendo seruo, tria legitima concurrebant, vt & ipse maior esset annis triginta, & dominus eius legitimus esset dominus, hoc est ex iure Quiritum: & seruus vindicta, Censu ve, aut testamento manumitteretur, nec vicium vllum aut affectus subesset: omnino is qui manumittebatur, ciuis Romanus fiebat. Quod si cum vicium nullum subesset tria non cōcurrebant legitima: quoniam aut seruus minor erat triginta annis: aut dominus, tantum bonorum erat dominus, nec etiam legitimum dominium habebat: aut manumißio procedebat per mensam, aut per epistolam, aut inter amicos: aut duo interdum desiderabantur legitima, aut etiā omnia tria, is qui ita manumittebatur, Latinus Iunianus fiebat. Porro cū vicium siue affectus suberat, omnino is, qui manumittebatur, fiebat dedititius. Quæ quanquā paulum post immutata ex Caio lib. primo Institutionū probētur, dum ait. Cives Romani sunt qui ijs tribus modis, idest testamento, aut in ecclesia aut ante Consulem fuerint manumißi. Latini sunt qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione manumittūtur. Dedititij vero sunt qui post admißa crimina supplicijs subditi, & publice pro criminibus cæsi sunt: aut

in quorum facie vel corpore, quaecunq; indicia, aut igne, aut ferro impressa sunt: atq; ita impressa vt deleri nō possint. Postremo sublata omnino imperialibus cōstitutionibus, haec libertatum discrimina, idem Theophilus dicat: & ex Pandectis, Iustinianiq; Codice, & Institutionibus satis constet: tamen recte, atque è re, & tempore Ciceronem, libertatem quasi per excellentiam appellasse eam cum qua manumissus simul ciuitatem Romanam consequeretur, nō etiā eam qua latinus maneret, aut dedititius, faciunt quidem superiora omnia manifestum.

TVM notatio, cum ex vi verbi argumentum aliquod elicitur, hoc modo: Cum lex Aelia Sentia assiduo vindicem assiduū esse iubeat, locupletē iubet locupleti: locuples enim assiduus, vt ait Aelius, appellatus ab aere dādo. §. VI.

TVM notatio. *Quintilianus lib. quinto, cap. 10. Praeterea, inquit, finimus, aut vi, sicut superiora: aut Etymologia, vt assiduū ab aere dādo, & locupletē à locorū, pecuniosum à pecorum copia. Quod autē Cicero notationē, Quintilianus Etymologiā vocat. Aristoteles lib. 2. Topic. interpretationē, Agricola rei nomen appellāt. Illud Visorius et Foxius merito improbāt quod idē Agricola cōtra Ciceronem externū putat, nō internū hunc locū. Cuius vsum late docent. Alciatus lib. primo Dispunctionū. c. primo. & lib. 2. de verb. sig. in principio. Forcatulus dialogo septuagesimo tertio. Cantiuncula, Euerardus, Bucoldianus, Gamarus,* 1

Titelmanus, locis supra relatis.

2 Cum ex vi verbi argumentũ aliquod elicitur. *Idest vt Foxius ait, Cum vim nominis interpretamur, atq; ab ea interpretatione ducimus argumentum.*

3 Hoc modo. *Sic etiam l.1.ff.de Pactis. Pactum à pactione dicitur. Inde etiam pacis nomen appellatum est. Et l.2.ff. de reb.cred. appellata est mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit, & ideo si non fiat tuum, nõ nascitur obligatio. Et l.1.ff.de Tutelis. Tutela est vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum qui propter ætatem suam, sponte se defendere nequit, iure ciuili data ac permissa. Tutores autẽ sunt qui eam vim ac potestatem habent, exque re ipsa nomen ceperunt: itaque appellantur tutores quasi tuitores atq; defensores: sicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur. Ceterũ in hoc exemplo subiectus terminus est lex vindicem volens aßiduo aßiduum: prædicatus, locupletẽ locupleti: Maxima propositio, interpretationẽ nominis, idẽ valere quod nomẽ.*

4 Cum lex assiduo vindicẽ. *Sic enim legendũ esse, non vt vulgo habetur, Cũ lex Aelia Sentia aßiduo vindicem Hotomanus probat, ad fragmẽta legis.12.tab.tertia parte, cap.sexagesimo primo, dicẽs. Ad eandẽ quoque legem ille Ciceronis locus pertinet, vbi sic scribitur. Cum lex aßiduo vindicem aßiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti: locuples enim aßiduus, vt ait Aelius, appellatus est ab ære dando. Quo in loco Cicero legem antiquorum instituto præcise appellãs, legem .12.tab. significat. Cuius rei ignorantia factum est, vt glossema illud ex coniectura nominis Aelij*

Iuriscon

Iuriſconſulti ſubijceretur, Aelia Sentia. Quod poſtea in ordinem Ciceronis verborum irrepſit. Atque eodem libro. Secũda parte, cap. quinto, idem Hotomanus, quod apud Ciceronem eſt pro Milone: & ſi per ſapienter & quodammodo tacite dat ipſa lex poteſtatem defendendi: ſic interpretatur: legem, inquit .12. tab. intelligendam, illud primum argumento eſt, quod eam paucis ante verſibus nominarat. Deinde quod legis appellatione, duodecim tab. intelligi, nemini mediocriter in hoc literarũ genere verſato, ignotum eſt. Ac certe non eſſe vanam Hotomani coniecturam, tum illud probat quod Gellius, Alexander ab Alexandro, alijq; multi, ex duodecim tab. hoc eſſe exẽplum affirmãt: tum quod Sigonius lib primo de Antiq. Iure ciu. Rom. cap. quinto ſcribit. Factum eſſe propter iuris præſtantiam, vt cum quid in lege ſcriptum eſſe diceretur .12. tab. legem aliquã intelligerent: & legitimas hæreditates, & legitimas tutelas appellarent, quæ legibus .12. tab. conſtituerentur: & legis actiones, quæ à .12. tab. lege proficiſcerentur. Quorum ſententia, iure quoq; videtur probari poſſe cap. centeſimo trigeſimo. ff. de verb. Sig lege obuenire hæreditatẽ, inquit, nõ improprie quis dixerit & eam quæ ex teſtamẽto defertur: quia lege .12. tab. teſtamẽtariæ hæreditates cõfirmãtur.

Vindicem. *Boetius, Viſorius interpretantur, qui alterius cauſã ſuſcipiat vindicandam, veluti quos nunc procuratores vocamus. Latomus atq; alij interpretes hac lege cautũ putant, nequis ſeruum pecunioſum in libertatẽ adſereret, niſi ipſe diues eſſet & pecunioſus, ne ſi tenuioribus* 5

 id lice-

id liceret, facile corrumperentur à seruis, qui eos in libertatem vindicarent. Melius Budæus in annot. ad legem fin. ff. de pign. act. aßiduos vindices pro locupletibus fidei iussoribus accipit. Et Hotomanus ait: fortasse non incommode dici posset, vindices eosdem fuisse, qui & vades dicebantur. Nam Festus, vindex, inquit, ab eo quod vindicat quo minus is qui prensus est, ab aliquo teneatur. Et l. quos nos. §. 1. ff. de verb. sig. ait. Locuples est qui satis idonee habet, pro magnitudine rei, quam actor restituendam esse petit. Corsus lib. secundo Indagationũ. cap. septimo in ista sententia est.

6 Cum lex assiduo vindicem assiduum esse iubeat. *His verbis, vt Gellius refert lib. decimo sexto, cap. decimo. Aßiduo vindex aßiduus esto: proletario ciui, quiuis volet, vindex esto. Alexãder ab Alex. lib. sexto Gen. Dier. cap. decimo scribit, hanc legem ab Aelio latam, vt illam. 12. tab. corrigeret: Si in ius vocat, si morbus æuitas uc vicium extitit, qui in ius vocabit, iumentum dato, si nolet, arceram ne sternito. Verum ego Alexandri sententiam nõ probo, nã & hanc legem, nõ ab Aelio latã, sed ex 12. tab. propositã, monstratũ est; & ad illã, si in ius vocat, quomodo hæc vllo modo pertineat nõ video. Qui essẽt Proletarij, Põpeius explicat lib. decimo quarto. Proletariũ, inquit, capite censum dictum, quod ex his ciuitas cõstet, quasi proles progenie: ijdem & proletanei. Et Non. Mar. de Ventorum proprietatibus, & Vocabulorum significationibus. Proletarij dicti sunt plebei, qui nihil Reip. exhibeant, sed tantum prolẽ sufficiant. Varro de vita populi Rom. lib. 1 quibus erant*

pecuniæ

pecuniæ ſatis locupletis aßiduos cõtrarius proletarius, aßi duo neminem vindicem voluerunt locupleti: & rurſus idẽ Marcellus. Proletarij ciues dicebantur qui in plebe tenuißi ma erant, & nõ amplius quam mille & quingentos æris in cẽſum deferebãt. Aul. Gellius quoq; lib. decimo ſexto, cap. decimo. Qui in plebe, inquit, Romana tenuißimi pauperrimiq; erãt, neque amplius quã mille quingẽtũ æris in cẽſum deferebãt, proletarij appellati ſunt. Qui vero nullo, aut per quam paruo ære cenſebãtur, capite cenſi vocabantur. Extremus autẽ cẽſus capite cenſorũ æris fuit. CCCLXXV. Et paulo poſt; Proletariorũ tamen ordo honeſtior aliquãtò & re & nomine quam capite cenſorũ fuit. Nã & aſperis Reip. tẽporibus, cum iuuẽtutis inopia eſſet, in militiã tumul tuariã legebantur, armaq; ijs ſumptu publico præbebãtur: & nõ capitis cenſione, ſed proſperiore vocabulo, à munere officioq; prolis ẽdẽdæ, appellati ſunt. Quod cũ re familiari parua minus poßẽt Remp. iuuare, ſobolis tamen gignẽdæ co pia ciuitatem frequentarent. Et Gellij interpretationẽ, Hotomanus de verbis iuris, & Iunianus Maius probauerũt.

Locuples enim aſſiduus, vt ait Aelius, appel- 7
latus ab ære dando. *Idem Quintilianus ſcribit. Et Gellius ait. Aßiduus in. 12. tab. & pro lucuplete, & facile munus faciente: dictus ab aßibus, id eſt ære dando, cum id tempora Reip. poſtularent: aut à muneris pro familiari copia faciendi aßiduitate. Vnde aßidui teſtes, locupletes & fide digni: proletarij, qui tales non ſunt, dicuntur Budæo in Annotationib. & lib. quinto de Aſſe.*

Ducun

§.V. DVcuntur etiam argumenta ex iis rebus, quæ quodammodo affectæ sunt ad id, de quo quæritur. Sed hoc genus in plures partes distributum est. Nam alia coniugata appellamus, alia ex genere, alia ex formula, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex caussis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorũ, aut pariũ, aut minorum.

DVcuntur etiam argumẽta ex. *Cur huius vniuersalis loci Cicero exemplũ non posuerit, quomodoq; hæc affecta sint, & in ipso de quo agitur hærere dicantur, cum potius videãtur extrinsecus posita, Boetius explicat. Illud quoque Latomus notat, affecta ita enumerari à Cicerone, vt quemadmodum quodque natura proximum est ei, ad quod afficitur, ita ordine suo collocetur.*

§.VI. COniugata dicuntur, quæ sunt ex verbis generis eiusdem. Eiusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab vno, varie commuttantur, vt Sapiens, Sapienter, Sapientia. Hæc verborum coniugatio Syzygia dicitur, ex qua huiuscemodi est argumentum. Si compascuus ager est, ius est compascere.

1 Coniugata dicũtur. *Aristoteles lib. 2. Topic. Dicũtur autem*

autem coniugata talia, vt iusta & iustus iustitiæ, & fortia & fortis fortitudini. Similiter autẽ & effectiua & cõseruatiua cõiugata illorũ sunt, quorũ sunt conseruatiua vel effectiua, vt sanatiua sanitatis, & bene dispositiua bonæ dispositionis. Eodem autem modo & in alijs. Coniugata igitur talia solẽt dici. Casus autem vt iuste & fortiter, & sanatiue & bene dispositiue, & quæcunq; eodem modo dicuntur. Videntur autem & quæ sunt secundũ casus, coniugata esse, vt iuste iustitiæ & fortiter fortitudini. Coniugata autem dicuntur secundum eãdem coniugationẽ omnia vt iustitia, iustus, iustum, iuste. Manifestũ igitur quoniam vnò quouis ostenso eorum, quæ secundum eandem cõiugationem dicuntur, vt bono vel laudabili, & reliqua omnia ostensa sunt, vt si iustitia est laudabilium, & iuste, iustus, laudabilium est. Quintilianus lib. quinto. cap. decimo. His illud adijcere ridiculũ putarem, nisi eo Cicero vteretur, quod coniugata tum vocant, vt eos qui rem iustã faciũt, iuste facere. Quod certe non eget probatione. Quod cõpascuum est, compascere licere. Differt vero hic locus ab Etymologia, vt notat Cãtiuncula, quod notatio expositione nominis, coniugatio similitudine vocabuli ac deriuatione perficitur. Coniugatorum vt Visorius scribit, alia solius nominis similitudine, nõ etiã significatione, coniugata dicuntur, vt somnus, somnolẽtus: officium, officiosus: a quibus argumentum non procedere bene Titelmanus putat. Alia, vt apud eundem Visorium & Foxium est, non tamen nominis voce, quam apta & conuenienti rei significatione coniunguntur: vt cum idem nomen quod.

quod in casus nequeat deduci, ab alio nomine casus mutuo accipiuntur. Vt à virtute, quoniam non est virtuosus, deducamus probus, probe, probũ. Cicero lib. primo de offic. Si maxima est sapientia, in qua continetur Deorum & hominum communitas, & societas inter ipsos: necesse est quod a communitate ducatur officium id esse maximum. Sapiẽtiam et officium tanquã cõiugata posuit, vt Cantiuncula aduertit. Alia nomine simul & significatione coniugata sunt, vt sapiens, sapienter, sapientia. Illud quoq; Cantiuncula & Euerardus recte notant, quod ad hunc locum attinet habitus habendam esse rationem, potius quam actus: nec enim recte colligitur: doctor ergo docet. Atque idem Cantiuncula scribit, attente spectandum ne qua vel facti vel iuris circunstans qualitas, coniugatorũ collationem impediat. Nam nec emancipatus nec fiscus, quamuis ad hæreditatem admittantur, hæredes dicuntur. Multa præterea de vsu huius loci tradũt Euerardus loco quarto. Bucoldianus lib. primo. cap. decimo. Titelmanus lib quinto. cap. trigesimo sexto, & trigesimo septimo. Et Gamarus lib. secundo.

2 Quæ sunt ex verbis generis eiusdem. *Hoc est eiusdẽ generationis. Est enim genus proprie, principiũ cuiusque generationis: vel ab eo qui genuit: vel à loco in quo genitus est. Vnde & sequitur.*

3 Eiusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab vno, varie commutãtur. *Oriuntur ab vno, vt Visorius ait, quæ idem principium dictionis habent. Varie commutantur, quorum finis diuersus est, vt iustitia, iustus*

iuste

iuste. Sapiens, Sapienter, Sapientia.

Huiuscemodi est argumentum. *Sic & in l. sexagesima octaua. ff. de Vsufructu. Vetus fuit quæstio an partus ad fructuarium pertineret. Sed Bruti sentētia obtinuit, fructuarium in eo locum non habere: neque enim in fructu hominis homo esse potest. Hac ratione nec vsum fructū in eo fructuarius habebit. Et in l. Argumento vigesima quinta. ff. de auro & arg. leg. §. quarto. Ornamenta muliebria sunt, quibus mulier ornatur. Veluti in aures, armillæ, viriolæ, anuli præter signatorios: & omnia quæ ad aliā rem nullam parantur, nisi corporis ornandi caussa, & paulo post. Mundus mulieris est, quo mulier mundior fit. Continentur eo speculæ, matulæ, vnguenta, vasa vnguētaria, & Terentius egregie. Homo sum, humani à me nihil alienum puto.* 4

Si Cōpascuus ager est, ius est cōpascere. *Hanc sententiā Scæuola quoque probat in l. Testatrix. ff. si serui tus vindic. Plures, inquit, ex municipibus qui diuersa prædia possidebant, saltum cōmunem vt ius compascendi haberent mercati sunt, idque etiam à successoribus eorū est obseruatū. Sed nonnulli ex ijs qui hoc ius habebāt, predia sua illa propria venundederūt. Quæro an in venditione etiam ius illud secutū sit prædia, cū eius volūtatis vēditores fuerint, vt & hoc alienarent? Respōdit, id obseruandū quod actū inter cōtrahētes esset. Sed si volūtas cōtrahentiū manifesta non sit, & hoc ius ad emptores transire. Itē quæro an cū pars illorum propriorum fundorū, legato ad aliquem transmissa sit, aliquid iuris secū huius cōpascui traxerit.* 5

Respondit

Respondit, cum id quoque ius fundi qui legatus esset, videretur, id quoq; cessurum legato. In proposito exemplo, vt Boetius scribit, subiectum est ager: prædicatum, cõpascere: Maxima propositio, Coniugatorum, in eo quod coniugata sunt, vnam atque eandem esse naturam. Vel, Cui conuenit aliquid, huic etiam coniugatum eius potest sociari. Quibus ita explicatis, iam satis apparet Ciceronem & Quintilianũ de huius loci vsu, iniuria ab Stephano Forcatulo reprehensos, dialog. quadragesimo Necyomantiæ. Nec mouet exempla quibus tentat probare infirmum esse à coniugatis argumentum. Nam primum quod ait cum possidere & in possessione esse coniugata sint: aliquando eum qui possideat, non esse in possessione. l. si quis ante. ff. de adquir. poss. non ita est. Possidere enim & in possessione esse caussa rei seruandæ, vel damni infecti, non sunt cõiugata: quia obstat circunstans qualitas de qua in l. possideri. §. genera possessionũ. ff. de adquir. poss. Nec magis verum est quod peculiarem mercem & peculium dicit coniugata, cum non sint. Sicut nec illud quod speciem mutuatam in l. item legato. ff. de legatis tertio. l. quæsitum. §. si quis eodem. ff. de fundo instru. mutuũ dici negat, ex l. mutuum. ff. si cert. pet. cum sint coniugata. Nam & si nomine sunt, re & significatione non sunt. Imo & si essent, facit sæpe subiecta materia, vt impropriè verba accipiantur, vt Corasius scribit de Iuris arte, quarta parte, cap. quarto l. Si vno. ff. locat. l. insulã. ff. de præscrip. verb. Commodatum pro mutuo l. fin. C. de his qui ex publ. rat. lib. decimo. Tutor pro curatore. l. Pater. §. conditionum

ff. de

ff. de Cond. & Demõstrat. Curator pro tutore. c. 1. de oblig. ad rat. Procurator pro actore vel Syndico. c. Petitio. De Procurat. Preterea quod addit, furtum fieri, & rem furtiuam non esse in. l. sequitur. §. si rem. ff. de Vsucapionib. ad rem non facit, cum ibi & in. l. itaq; . §. Sed etsi res. ff. de furtis: Actio furti & res furtiua coniugata non sint, quia de est illa qualitas furti, quæ exigit rem esse alienam. Actio autem datur, non tam rei gratia, quã cuiusdam securitatis quod creditori expediat pignori incũbere. Aedificare etiã & ædificium quanquam aliàs coniugata sint, tamen in exẽplis quæ ille adducit, non sunt. Area enim, vt est apud Alciatum in. l. fundi appellatione, numero octauo. ff. de verb. sig. proprie rusticum locum significat, metaphorice in vrbe sibi locum vsurpat. Itaque. l. Aequissimum. §. proinde. Et. l. penult. ff. de Vsufr. loquuntur tum de loco rustico, tum de eo ædificio quod non mutat formam rei. At in. l. Vsufructuarius. ff. eo. Et in. l. repeti. §. si areæ. ff. quib. mod. Vsuf. am. agitur tum de area vrbana, tum de ædificio quod mutat formam rei.

A Genere sic ducitur: Quoniam argentum omne mulieri legatum est, non potest ea pecunia, quæ numerata domi relicta est, non esse legata. Forma enim à genere, quoad suũ nomen retinet, nunquam seiungitur. Numerata autem pecunia nomen argenti retinet. Legata igitur videtur. §. VII.

D A gene

1 A genere sic dicitur. *Quid genus sit, & quomodo à genere sit argumentandũ docent Aristoteles lib. primo & secũdo Topicorũ Cicero lib. 1. de Inuẽtione & lib. 1. de Oratore. Porphyrius in Isagoge. Agricola lib. 1. cap. 6. Boetius, Visorius, Barba & Foxius in cõment. ad hunc locũ. Bucoldianus lib. primo de Inuent. cap. vndecimo. Et ex iurisperitis, Gamarus lib. primo Dialecticæ legalis. cap. de toto vniuersali. Euerardus loco sexto à genere, & Cantiuncula in eodem loco: vbi plurima ad forũ & caussas spectantia proponunt. Quintilianus quoque lib. quinto, cap. decimo ait. Genus ad probandam speciem minimũ valet, plurimum ad refellendam, itaque non quia est arbor, platanus est. At quod non est arbor, vtique platanus nõ est. Nec quod non est virtus, vtique potest esse iusticia.*

2 Quoniam argentum omne. *Vt Boetius ait. Numerata pecunia in hac quæstione subiectum est: legata prædicatum: Maxima propositio. Cui conuenit omne genus, eidem vnamquanque speciem conuenire. Quam Marcus Tullius, diuersis quidem verbis, sed eadem significatione proposuit, dicens.*

3 Forma enim à genere quoad suum nomen retinet nunquam seiungitur. *Eadem propositione, ad similem fere argumentationem ei de qua agimus, vsus est Paulus Iurisc. lib. 2. ad Vitellium. Et refertur in. l. Quæsitum est. §. quarto. ff. de legatis tertio. Illud fortasse, inquit, quæsiturus sit aliquis, cur argenti appellatione, etiam factũ argentum comprehendatur, cum si marmor legatum esset,*

 nihil

nihil præter rudem materiam demonstratum videri posse. Cuius hæc ratio traditur. Quippe ea quæ talis naturæ sint, vt sæpius in sua redigi posint initia, ea materiæ potentia victa, nunquam vires eius effugiãt. Cæterum formam hoc loco Cicero pro specie posuit. Alfenus Iurisc. in l. Propone batur. ff. de Iudicijs, è contrario, speciẽ pro forma, quod veluti forma tollit materiæ ruditatem, sic species cõfusum et informe genus, speciendum, vt veteres loquebantur, exhibet. Animal quasi confusum quidã est, vbi addideris hominẽ, vel leonem, cessat ambiguitas: formam pro specie Cicero quod species sit cõmunis imago quædam naturæ, & forma, quæ est in multis indiuiduis adũbrata & cõcepta ab animo nostro: vt cum videas multos equos circunfers animo impressam equi imaginem, & tanquam adumbratum simulacrum, vt vbi sis, equum agnoscas.

Numerata autem pecunia nomẽ argenti retinet, legata igitur videtur. *Sic & Quintilianus lib. 5. cap. 10. ait. Si is cui omne argentũ legatũ est, petat signatum quoque, vtatur genere. Et eodẽ lib. 5. cap. 14. idẽ Quintilianus ita scribit. Si pecunia quæ est in argẽto signato, argẽtũ est, qui argentũ omne legauit, & pecuniã quæ est in argento signato legauit. Argentum autẽ omne legauit, igitur & pecuniam quæ est in argento legauit. Euerardus displicere sibi ait hæc exempla neq; vera esse. Et Forcatulus dialogo trigeßimo octauo Necyomantiæ, Trebatium non sine risu legisse hoc putat: quod ius ciuile contrariũ cantet. l. vigeßimaseptima. §. pri. ff. de auro et arg. legat. Vbi Vlpianus ait.* 4

An cui argentum omne legatum est, ei nummi quoq; legati esse videantur quæritur. Et ego puto nō contineri, non faci le enim quisquam argenti numero nūmos computat. Sed pro fecto optassem ego, respondissent illi docti viri, non dico Ciceroni & Quintiliano hominibus, vt ego credebā, eruditis sed Paulo ipsi iuris consulto, qui, vt dictum est ex hoc ipso loco, atq; ex eadem maxima propositione deduxit, argento legato, factum quoq; contineri. Quid enim refert ostendere Vlpianum in contraria esse sententia, si is non numero solū grauissimorum auctorum, sed pondere quoq; rationum & autoritate vincatur, in quibus nihil reperias quod accuses. Ostendam igitur quo me ducat cōiectura, cessurus facile si quis quod probabilius sit inuenerit. Primum, forte hæc fuit opinio Trebatij, quam honoris gratia Cicero, vt verisimile est, ex ipsius libris, non solùm in his Topicis posuit. Vlpianus in contraria sententia est, & Vlpiani sententiam Tribonianus magis probat. Aut certe in tractandis locis argumētorum, non ea solū quæ certa sunt & constituta debent proponi, sed et quæ ab aduersario dici possunt. Reperto enim quæstionis statu oportet docentem locos vtriq; parti proponere communes. Vnde apud Quintilianum est lib. quinto cap. decimo tertio, de refutatione: bonum præceptorem non minus discipulum laudare debere; si quid pro diuersa, quā si quid pro sua parte acriter excogitauit. Vel quod potius existimo in verborum interpretatione primum locum optinet mens testatoris, etiam verbis repugnantibus l. scire oportet. §. aliud autem. ff. de excusat. tut. secundum, communis vsus

loquendi

loquendi.l.librorum.§.quod tamen.ff.de legatis tertio.l.Cũ de Lanionis. §. asinam.ff.de fundo instr.l. in vulgari. ff.de verb.sig.Tertium,proprietas verbi.l.Non aliter. ff.de legatis tertio.l.prima.§.si quis nauem.Vers.sed si.ff.de exercitoria,quæ cum ita sint,censeo,nec dubito,Ciceronem verbi proprietatem recte,Vlpianum communem vsum loquẽdi vt debuit sequutum:quod vel eius illa verba subindicant, quæ,tanquam rationem suæ addidit opinationi dicens, non facile enim quisquã argenti numero nũmos computat. Sed & quid de hac re,vir,tum in Philosophia & Iurisprudentia satis doctus,tum probitate insignis Pinilla dicere solitus fuerit,non prætermittam. Is argentum genus,cõtinere inquibat,factum,purum,signatum:rursus nummus genus, aureos,argenteos,& æreos nũmos:existimabat igitur tradidisse Vlpianum,legato argento genere,non contineri argentũ,idest nummus genus,ita vt & aurei etiam,& ærei nummi deberentur:non autem negare,cõtineri nummos argenteos,quos omni argento legato deberi Cicero scribit.

A Forma generis,quam interdum,quo planius accipiatur,partẽ licet nominare,hoc modo:si ita Fabiæ pecunia legata est à viro, si ei viro materfamilias esset, si ea in manũ non cõuenerat,nihil debetur.Genus est vxor,eius duæ formæ, vna matrũfamilias earum, quæ in manũ conuenerunt:altera earum,quæ tantummodo vxores habentur. Qua in parte cũ fuerit Fabia,legatum ei non videtur. §. VIII.

1 A Forma generis. *Cur speciem appellet formam, supra diximus. Cur autem formã nunc partemq́; cõfundat, quas constat esse diuersas, Cicero demum ostendet. A forma, vt Visorius scribit, dupliciter argumentũ trahitur. Nam vnius formæ conformatio, vel est alterius refutatio, vt homo est, igitur bellua nõ est: vel generis approbatio, vt iustitia est, ergo virtus est. Primũ illud quod ad nos nũc attinet, maxima propositio est, scilicet, quod de vna specie dicitur, idem in alterã non cõuenire: quod & Boetius probat. Caute tamẽ admittendũ monet Cãtiuncula, docens exẽplis fallere multis in rebus. Posterius Quintilianus etiam confirmat lib.5.cap.10. Species, inquit, firmã probationem habet generis, infirmam refutationem. Nam quod iustitia est, vtique virtus est: quod non iustitia, potest esse virtus, vt si est fortitudo, continentia, constantia. Nũquam itaque tolletur à specie genus, nisi omnes species, quæ sunt generi subiectæ remoueantur, hoc modo: quod neq́; immortale est neq́; mortale, animal non est. Hoc etiam est quod dicere solent Iurisperiti, ad positionem speciei, sequi positionem generis. l. si quid earum rerum. §. inter. ff. de legatis tertio. l. secunda. §. creditum. ff. si certum petat. Hucq́; & similiter pertinet, genus continere speciem, & speciem genus: genus scilicet speciem contentiue & comprehensiue: speciem genus, illatiue & consequutiue, homo est, igitur animal, platanus ergo arbor. Sed & multa alia ad vsum huius loci spectantia tradunt Aristoteles libro secundo Topic. Rodolphus lib. primo cap. sexto. Et ex Iurisconsultis Euerardus loco septimo.*

ſeptimo. Cantiuncula loco octauo. Gamarus lib. primo.
Si ita Fabiæ pecunia legata eſt à viro. *Subiectũ eſt Fabia, prædicatum legata pecunia. Quæſtio, An Fabiæ vxori legatum debeatur. Quod autẽ ait, pecunia legata eſt à viro, Boetius ſic interpretatur quaſi vir teſtator eſſet, & eius vxor Fabia vocaretur, quod Hotomanus lib. primo obſeruationum, cap. vigeſimo primo, ſeuere reprehendit. Ignorauit, inquit, vir Dialecticæ peritiſsimus, vim eius locutionis, quæ apud Iuriſconſultos eſt vſitatiſsima. Nam legare ab aliquo cum dicimus, aliquem hæredẽ intelligamus, vt non ex hæreditatis aſſe legatum detrahatur, ſed ex eius dumtaxat parte qui nominatus eſt. Vir igitur non teſtator fuit, ſed vnus ex hæredibus inſtitutis: & Fabia non teſtatoris vxor, ſed hæredis. Forma igitur legati ſub conditione cõcepti ſic eſt. Valerius hæres meus vxori ſuæ Fabiæ, ſi materfamilias eius ſit, centũ dato. Sanè eleganter Hotomanus. Sed quid ſi ipſe Valerius ita ſcripſit. Fabiæ vxori meæ, ſi cũ moriar, mihi materfamilias fuerit, centum do lego. Nonne rectè ego dicam Fabiæ à viro Centum legata ſi ei mater familias eſſet? Si pater dotem filiæ prælegauerit, errabit ne dicens filiæ à patre dotem prælegatam? Cæterum matrem familias hic accipe eam quæ in manum conueniſſet: aliàs, vt Vlpianus ſcribit in l. Pronunciatum. §. matremfamilias. ff. de ver. ſign. neque nuptiæ, neq; natales matremfamilias faciunt, ſed boni mores. De qua re Blondus de Roma triumphante lib. ſeptimo. Et Cantiuncula locò ab ſpecie. Et optime Rauard. lib. 4. varior. cap. 12.*

3 Genus est enim vxor, eius duæ formæ, vna ma trũ familias, earũ quæ in manum cõuenerũt: altera earũ quæ tãtummodo vxores habẽtur.

Multa possem hoc loco afferre de antiquo cõnubiorũ iure, cognitu quidem iucunda, atq; ad eã rem, de qua agimus atti nentia, quæ fusius scribunt Quintilianus lib. quinto, cap. de cimo. Plutarchus in Problematib. Vlpianus tit. nono. vigeßi mo secundo, & vigeßimo nono. Gellius lib. quarto. cap. ter tio, & quarto, & lib. decimo octauo, cap. sexto. Cælius Rho dig. lib. decimoquinto. Antiq. lect. Volateranus. lib. trigeßi mo. Cõment. vrb. Budæus in Annot. ad Pandect. Alexã der ab Alex. lib. secũdo Genial. dier. cap. quinto. Guarinus in Catul. in Epitalamio Iuliæ & Mallij. Perionius in Cõcio ne centeßima quadrageßima septima Liuij. Alciatus in Annot. ad Corn. Tacit lib. quarto. Cuiacius lib. septimo ob seruat. cap. vndecimo. Corasius de iuris arte. Prima parte, cap. decimo septimo. Hotomanus in Partitionibus iuris ciui lis. tit. septimo de iure vxorũ. Et ad leges. 12. tab. tertia par te. cap. quarto. Carolus Sigonius lib. primo de Iure ant. ciu. Rom. cap. nono. Verum ex his ea solum referemus, quæ ma xime ad interpretationem huius exempli erunt necessaria. Id ita explicat Boetius. Tribus, inquit, modis vxor habe batur, vsu, farre, coemptione: Sed cõfarreatio solis pontifi cibus conueniebat. Quæ autem in manum per coemptionem conuenerant, hæ matresfamilias vocabantur: quæ vero vsu vel farre, minime. Coemptio vero certis solennita tibus peragebatur, & sese in coemendo inuicem interro-

gabant:

gabant: vir ita, an sibi mulier materfamilias esse velet: illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat, an vir sibi paterfamilias esse velet: ille respondebat, velle. Itaque mulier, viri conueniebat in manum. Et vocabantur hæ nuptiæ, per coemptionem: & erat mulier materfamilias viro loco filiæ. De qua, ni fallor, accipiẽdum est, quod Antonius Roscius lib. tertio Memorabilium. cap. primo. n. 3. ait. Eos qui post Romulũ monarchiã tenuerũt, lege tulisse, vt vxor marito in bonis succederet. Cõfarreationis, vt est apud Sigoniũ, Dionysius meminit in Romulo: sacras nuptias scribẽs farracia esse dictas, quod eodem farre cõiuges vescerẽtur, quo etiam victimas respergerẽt. Itaq; Vlpianus tit. nono Institut. Farre, inquit, conuenitur in manũ, certis verbis, & testibus decem præsentibus, & solenni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur. Et Plinius lib. decimo octauo. cap. tertio. In sacris nihil religiosius cõfarreationis vinculo erat: nouæque nuptæ farreũ præferebant. Et Tacitus lib. tertio Confarreandi consuetudinem, aut omissam, aut inter paucos retẽtam ait. Hinc diffarreatio, apud Festum, dissolutio matrimonij dicitur cõfarreatione cõtracti. Coemptionis formam idem Sigonius, Alexander & Guarinus referunt: ea erat huiusmodi. Veteri Romanorum lege, vt Varro tradit, nubẽtes mulieres ad virum tres asses ferre solebant, atq; vnum quidem quem in manu tenebãt, tãquam emendi caussa marito dare: alium quem in pede habebant, in foro larium familiariũ ponere: tertiũ in saciperio cũ condidissent, cõpito vicinali solebant resignare. Ex hoc

ergo atq; alijs quæ supra sunt dicta fiebat, vt mulier in manu mancipioq; mariti esset, aut eius cuius in manu mancipioq; maritus erat: suaque illi hæres fieret. Vir autem non in manu idest potestate vxoris erat: sed quod coemptus erat, id ei sui hæredis ius tribuebat. Vsu fieri matrimonium dicebatur, vt est apud eundem Sigonium, cū tutoribus autoribus mulier in matrimonium conueniebat: & cum viro consuescebat, ita vt cum iusto marito: adeo vt si vsus ille intra annū nō interrūperetur, pro vsu capta iā haberetur. Qua de re nonnihil scriptū fuisse in.12.tab. Macrobius lib. primo.c.3. Et Gellius lib. tertio cap. secundo, indicant: qui Q. Mutium dicere solitum referunt, non esse vsurpatam mulierē, quæ cum Cal. Ianuarijs apud virum caussa matrimonij esse cœpisset, ante diem. IV. Cal. Ianuarias sequentes vsurpatum ijsset. Non enim posse impleri trinoctium, quod abesse à viro vsurpandi caussa, ex.12.tabul. deberet. Ex quibus verbis apparet, vt aliarū rerum, sic etiam vxorum vsucapionem fuisse. Et si vxor per annum integrum, nullo interrupto vsu apud virum fuisset, in manum mariti venisse, & ex tutorum potestate exisse. Vsum vero, si per tres noctes ab eo absuisset, interruptum fuisse. Atque id, esse vsurpare, lex secūda, de vsurpationibus & vsucapionibus docet, vbi iurisconsultus ait. Vsurpatio est, vsucapionis interruptio. Et hoc modo Mutij responsum, Sigonius lib.1. de antiq. iure ciu. Ro. cap. nono. Hotomanus in partitionib. iuris. tit. de iure vxorū. Et ad leg. 12. tab. tertia parte cap. quinto. Et in l. quinta. ff. Qui testam. fac. poss. Oroscius, in.l.

in l. secunda ff. de orig. iur. Cuiacius, in l. secunda ff. de vsucapionib. & Forcatulus in Penu iuris ciuilis, cap. decimo. 5. interpretatur. Illud quoq; accipiendũ est, quod pro Flacco Cicero scribit. In manum, inquit, conuenerat, nunc audio, sed quæro vtrum vsu an coemptione? Vsu non potuit: nihil enim potest de tutela legitima sine omniũ tutorum autoritate diminui. Coemptione? omnibus ergo autoribus: in quibus certe Flaccum fuisse non dices. Vnde Hotomanus notat, neq; vsu, neq; coemptione fieri vxorẽ sine tutorũ suorũ autoritate vllam potuisse. Ad hæc, Ser. Sulpitium in libro quẽ scripsit de dotibus, scripsisse Gellius ait. Qui vxorem ducturus erat, ab eo vnde ducenda erat, stipulari solitũ, eam in matrimoniũ ductum iri: qui daturus esset, itidẽ spopõdisse. Hancq; contractum stipulationum sponsionumq; dici sponsalia. Tunc, quæ promissa esset, sponsam appellari, qui spopondisset ducturum, spõsum. Vxorem, Seruius alter, in lib. quart. Aeneid. Virgilij, quasi vnxorẽ dici putat, quod moris fuerit, vt nubentes puellæ, simul cum venissent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, & oleo vngerent. Et Plinius lib. vigesimo octauo cap. 9. Proxima, inquit, in communibus adipis laus est, sed maxime suilli, apud antiquos etiã religiosi. Certe nouæ nuptæ intrantes, etiam num solẽne habẽt postes eo attingere. Idem Gellius scribit, pellicem appellatam, probrosamq; habitã, quæ iuncta consuetaq; esset cũ eo, in cuius manu mãcipioq; alia matrimonij caussa fuisset. Idque antiquissima lege Numæ regis ostendi: Pellex ædem Iunonis non tangito:

si tangit

si tangit, Iunoni crinibus dimißis agnum fœminam cædito. Pellex autem quasi Pállax idest quasi Pallachis, vt pleraq; alia, ita hoc quoque vocabulum de græco flexum est. Idem Gellius scribit, idoneos vocum antiquarũ enarratores tradidisse, matronam dictam esse proprie, quæ in matrimonio cum viro cõuenisset, quoad in eo matrimonio maneret: etiã si sibi liberi nondum nati forent. Dictamq; esse ita à matris nomine, non adepto iam, sed cum spe & omine mox adipiscendo: vnde ipsum quoq; matrimonium dicitur. Matrem vero familias appellatam esse eam solam, quæ esset in mariti manu mancipioq;: aut eius in cuius maritus manu mancipioq; esset. Quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, & in sui hæredis locum venisset.

§. IX. A Similitudine hoc modo. Si ædes eæ corruerunt, vitiumue fecerunt, quarum vsusfructus legatus est hæres restituere nõ debet, nec reficere non magis quã seruum restituere, si is cuius vsusfructus legatus est, deperijsset.

1 *A Similitudine. Quæstio, vt Boetius scribit, est. An vitium vel ruinã ædiũ, quarũ vsusfructus legatus est hæres præstare teneatur. Termini, subiectus quidẽ, ædium vitiũ; prædicatus, ab hærede restitutio. Maxima propositio similibus similia cõuenire. Similitudini, vt Latomus ait, differentia opponitur eo, quod hæc rerum inter se collatarũ qualitas est diuersa: illa eadem. A paribus autẽ similitudo*

differt

differt, vt est apud eũdem Latomũ, quod similitudo ad qualitatem, comparatio ad quãtitatem pertinet. Huius loci vsum Aristoteles docet lib. secundo Topic. & Quintilianus lib. quinto cap. decimo. Ex similibus, inquit, si continentia virtus, vtiq; & abstinentia: si fidem debet tutor, & procurator. Et cap. vndecimo ait. Illud est annotandum, argumenta magis duci ex Iure ciuili, vt Cicero in Topicis. Ei cui domus vsufructus relictus est, non restituturum hæredi, si corruerit: quia nõ restituat seruum si decesserit. Et lib. octauo. cap. tertio. Præclare vero ad inferendam rebus lucem, repertæ sunt similitudines: quarum aliæ sunt quæ probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliæ ad exprimẽdam rerum imaginem compositæ. Vbi multa ponit exempla oratoria poeticaq;. Bucoldianus quoq; lib. primo de Inuent. cap. duodecimo, ex Cicerone & Virgilio. Titelmanus lib. 5. Dialect: cap. vigesimo nono. Ex sacra scriptura. Ex Iurisconsultis & doctorum responsis Cantiuncula in Topic. legalib. Euerardus loco decimo tertio, & Gamarus lib. 2. Quibus autem modis eludendæ sint similitudines Quintilianus scribit lib. quinto. cap. duodecimo.

Hæres restituere non debet. *In eadem sentẽtia est Papinianus in. l. Domus hæreditarias. Et Caius in. l. si ita legatum. §. si domus. ff. de legatis primo. Vlpianus quoq; in. l. Vsufructu legato. §. quoniam. ff. de Vsufructu. Quoniam igitur, inquit, omnis fructus rei ad eum pertinet, reficere quoq; eum ædes per arbitrum cogi; Celsus scribit lib. octauo decimo Digestorum: hactenus tamen vt sarta tecta habeat. Si* 2

qua tamen vetustate corruissent, neutrũ cogi reficere. Sed si hæres refecerit, pasurum fructuarium vti. Et in.l.repeti. §.primo.ff.quib.mod.vsuff.am.idem Vlpianus ait. Rei mutatione interire vsumfructũ placet. Veluti vsusfructus mihi ædiũ legatus est: ædes corruerunt, vel exustæ sunt, sine dubio extinguitur. Nec contra est quod in lege vigesima quarta.ff.de legatis primo. Pomponius ait. Si diminutum ex grege pecus esset, & vel vnus bos superesset: eũ vindicari posse, quamuis grex desisset esse: quemadmodum insula legata si combusta esset, area posit vindicari. Quod in legato proprietatis admittendum est, illud aliud de vsufructu accipiendum: quemadmodũ & quod lege trigesima prima.ff. quem, vsuff.am.idem Pomponius scribit. Cum gregis vsus fructus legatus est, & vsque eo numerus peruenit gregis, vt grex non intelligatur, perijt vsusfructus: ne secum dissentire Iurisconsultus idem videatur. Ratio discriminis ea est, quia cum proprietas certi corporis legatur, id debetur quod de corpore reperitur, quod in vsufructu nõ est. Vnde in.l.octaua.§.primo.ff.de legatis secũdo. Paulus ait. Siquis legauerit ex illo dolio amphoras decem: & si non decẽ, sed pauciores inueniri possẽt: non extinguitur legatũ. Sed hoc tantummodo accipit, quod inuenitur.

3 Non magis quàm seruũ restituere, si is cuius vsusfructus legatus est deperisset. *Idq; verũ est. Nã vt in lege cẽtesima octaua, §.nono.ff.de legatis primo. Africanus scribit, si seruus legatus sit, & moram hæres fecerit, periculo eius & viuit, & deterior fit. Sic & de fũdo*

ad ser-

ad seruū, in lege septuagesima. ff. de legatis primo, Caius argumentatur. Si seruus Titij furtum mihi fecerit, deinde Titius, hærede me instituto seruū tibi legauerit: non est iniquum talem seruū tibi tradi, qualis apud Titium fuit: idest ut me indemnem præstes furti nomine quod is fecerit apud Titium. Nam & si fundus qui meo fundo seruiebat, tibi legatus fuerit, non aliter à me tibi præstari debeat, quam ut pristinā seruitutem recipiam. Et lege vigesima secūda, eodem tit. à grege ad insulam Pomponius. Si diminutum ex eo grege pecus esset, & vel unus bos superesset, eum vindicari posse, quamuis grex desisset esse: quemadmodum insula legata si combusta esset, area posit vindicari.

A Differētia: Non, si vxori vir legauit omne argentū, quod suum esset, iccirco, quæ in nominibus fuerunt, legata sunt. Multū enim differt, in arca ne positum sit argentum, an in tabulis debeatur. §. X.

A Differentia. *Quintilianus dissimile, alij separatum appellant de quibus multa Bucoldianus lib. 1. cap. duodecimo. Titelmanus lib. 5. cap. trigesimo secundo. Euerardus loco decimo octauo. Cantiuncula loco à differētibus. Et Gamarus lib. secundo. Hoc loco Iuriscōsultus vtitur in lege sexagesima quinta in fine. ff. adquir. rer. dom. Non si id quod in publico innatum, aut ædificatū est, publicū est: Insula quoq;, quæ in flumine publico nata est, publica esse debet.* 1

Sic

Sic enim cum negatione in initio legendum, recte Hotomanus docet, lib. primo obseruationū, cap. quadragesimo. Quia alia Insulæ, alia cæterarū rerū sit ratio. Insula enim in flumine publico nata, flumē dilatat, ac propterea tātundem in vtriusq; ripæ aduersæ agro regionis occupat, quantū ipsa continet. Arbores vero in fundo publico natæ, aut ædificiū positum, nihil vicinis detrimenti afferunt.

2 Non si vxori vir legauit omne argentū quod suum esset, iccirco, quæ in nominibus fuerūt, legata sunt. *Quintilianus lib. quinto cap. decimo. ex dissimilibus. Non si lætitia bonū, & voluptas. Non quod mulieri, idem pupillo. Et cap. vndecimo. Dissimilia sic deprehēduntur. Non si qui argentum omne legauit, videri potest signatam quoque pecuniam reliquisse, ideo etiam quod est in nominibus, dari voluisse creditur. Idq; verū est, nam vt lege vigesima septima. ff. de aur. & arg. leg. Vlpianus scribit. Argento omni legato, quod suum esset: sine dubio nō debetur id quod in credito esset. Hoc ideo quia non videtur suum esse, quod vindicari nō possit. Et lege trigesima quarta. Pomponius libro nono ad Q. Mutium inquit. Scribit. Q. Mutius, si aurum suum omne pater familias vxori suæ legasset: id aurum, quod aurifici faciundū dedisset, aut quod ei deberetur, si ab aurifice ei repensum non esset, mulieri non debetur. Pomponius: hoc ex parte verum est, ex parte falsum. Nam de eo quod debetur, sine dubio, ut puta si auri libras stipulatus fuerit, hoc aurum quod ei deberetur ex stipulatu, nō pertinet ad vxorem: cum illius factum adhuc*

non

non sit. Id enim quodsuum esset, nō quod in actione haberet, legauit: &c. Hotomanus lib. 1. obseruationum cap. vigessimo secundo, hoc exemplum ad locum à differentia pertinere non posse contendit, sed ad definitionē potius. Boetius & Visorius notāt, subiectū in hac quæstione terminū esse argentū debitū: prædicatū testatoris legatū: Maximā pro positionem, de rebus plurimum differentibus, idem intelligi non posse: idest vt Iurisperiti dicunt, a bseparatis non fieri illationē. l. fin. ff. de calumniat. l. naturaliter, §. nihil cōmune. l. permisceri, in principio. ff. de adq. poss. l. Papinianus exu'i. ff. de Minorib. illud non probo, quod quidam hic interpretes aiunt Ciceronem hoc exemplum ex lege illa vigesśima septima. ff. de aur. Et arg. leg. mutuatum. Sanè Cum Domitius Vlpianus, Alexandri Seueri Imperatoris Præfectus prætorio fuerit, vt constat ex. l. ex diui. ff. de locato & cōd. & aduertit Antonius Augustinus libro Singulari ad Modestinum: magistrumq; sacrorum scriniorum eiusdē Imperatoris fuisse scribāt Eutropius libro octauo. Riuallius, lib. quinto Historiæ iuris ciuilis. Politianus epistola ad Iacobū Modestum libro quinto. Roscius libro tertio Memorabilium, cap. sexto. Numero quadragessimo: imperasse autem Alexandrum anno ducentessimo trigessimo secundo post Christi aduentum constet ex Alexandro Sculteto pagina centessima vndecima, Masseo libro nono Cronicorū. Ciceronem vero cōsulatum gessisse, idē Scultetus ostendat pagina nonagessima octaua, sexaginta duobus annis ante Christi aduentum, qui fieri potuit, vt ex Vlpiano Cicero

sumpserit exemplum? Cum inter eos anni intercesserint du centi nonaginta quatuor. Quamquam non inficior, Q. Mutij librum, quem Vlpianus citat, Ciceronem legere potuisse, imo aio esse verisimile, si modo Q. Mutius cuius quædam citantur in Pandectis idē ille est. P. F. Pont. Max. Cuius apud Ciceronem quoq; plurima mentio.

3 Multum enim differt in arca ne positum sit argentum, an in tabulis debeatur. *Postremū verbum, debeatur, glossam redolere, libro primo Obseruationū cap. vigesimo secundo, Hotomanus scribit: quod & mihi videtur. Est autem hæc superioru exempli ratio, quam & Pomponius expressit dum ait. Id enim quod suum esset, non quod in actione haberet, legauit. Et Vlpianus hoc ideo, quia non videtur suum esse quod vindicari non possit. Vnde quædam acute ratiocinatur Hotomanus, Instit. de actionib. in pr. agens de actionis definitione.*

§. XI. EX contrario autem sic: Non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum vsumfructū legauit, cellis vinarijs & olearijs plenis relictis putare id ad se pertinere. Vsus enim non abusus legatus est. Ea sunt inter se contraria.

1 EX contratrio. *Fertilissimum in campum deuectum est. Quandoquidem, vt libro sexto, cap primo, ex Chrysippo Gellius scribit, nullū contrarium esse sine cōtrario potest. Quo enim pacto Iustitiæ sensus esset, nisi essēt iniuriæ?*

Aut

Aut quid aliud iustitia est, quam iniustitiæ priuatio? Qui item fortitudo intelligi posset, nisi ex ignauiæ oppositione? Qui cõtinentia, nisi ex intẽperantiæ? Quo itẽ modo prudentia esset, nisi foret cõtra imprudẽtia? Quare multa de vsu huius loci philosophati sunt, Cicero lib. primo de Inuent. & lib. 2. de Oratore. Aristoteles lib. 2. Topic. Quintilianus lib. quinto cap. decimo & vndecimo. Et Titelmanus lib. quinto Dialect. c. vigesimo secundo. Euerardus loco decimo nono. Cantiuncula loco à contrarijs. Et Gamarus lib. secundo.

Non debet ea mulier. *Penus vsusfructus, subiectum est: legatũ, prædicatũ: maxima propositio, quod alicui cõuenit, id eius cõtrario non cõuenire, quã probãt. l. hæc verba ille aut ille. ff. de verb. sig. l. si inter me, et te. ff. de except. rei iud l. ius nostrũ. ff. de reg. iur. l. adoptiuũ. §. patronũ. De in ius voc. l. 11. C. de furtis. Huc illud pertinet quod l. Põponius, quadragesima. §. secũdo. ff. de Procurat. Vlpianus scribit. Cũ iudicatur rem meã esse, simul iudicatur illius nõ esse. Et Quintilianus, frugalitas bonũ, luxuria enim malum. Si malo rũ caussa bellũ est, erit emẽdatio pax. Si veniã meretur qui imprudẽs nocuit, nõ meretur præmiũ qui imprudẽs profuit.* 2

Non debet ea mulier cui vir bonorum suorũ vsumfructum legauit, cellis vinarijs & olearijs plenis relictis, putare id ad se pertinere. 3

Hæc sententia Iustiniani Imperatoris decreto confirmata est, Instit. de vsufructu. Constituitur, inquit, vsusfructus non tantũ in fundo & ædibus, verũ etiã in seruis & iumẽtis, & cæteris rebus, exceptis ijs, quæ ipso vsu cõsumũtur.

Nam hæ res, neq; naturali ratione, neq; ciuili recipiunt vsumfructum: quo in numero sunt vinum, oleum, frumẽtum vestimenta: quibus proxima est pecunia numerata: namq; ipso vsu aßidua permutatione quodammodo extinguitur. Quare quod Forcatulus Necyomantiæ dialogo trigeßimo nono scribit, de hac re, est sané & insolentius dictum, & nullam rationem habet. Viæ, inquit, incognitæ cladis fuere initium. Diserti erant, non periti iuris. Inde est eiusdem. M. Tullij lapsus in libris Topicorum, in loco à contrarijs. Vsufructu legato &c. Tutius ait esse, vsumfructũ quoque legatum rerum vsu consumptibilium, quia eis præstita cautione fruamur. Verum hæc quid ad rem? Censuit quidem Senatus vtilitatis caussa posse etiam earum rerum vsumfructum constitui, vt tamen eo nomine hæredi vtiliter cauere tur: idest vt legatario traderentur & eius fierent: æstimatis tamen his, & data satisdatione, vt si moriatur aut capite minuatur legatarius, tanta pecunia restituatur, quanta hæ fuerint æstimatæ, vt toto titulo. ff. de vsufr. ear. rer. continctur. Sed vt egregie Iustinianus Imp. ait, Senatus nõ fecit earum rerum vsumfructum, nec enim poterat; sed per cautionem quasi vsumfructum cũstituit. Præterea quod est apud eundem Forcatulum, exemplum hoc M. Tullij, nõ plane respondere loco à contrarijs, quia qui habeat vsum bonorum, & vtendo quasdam res cõsumat, nihil faciat vsui contrarium, sed aliquid plus vsu, sicut qui nimium diligat, nihil faciat amori contrarium: quam sit plenum, vt parce dicam, futilitatis, summæq; leuitatis nemo nõ cernit. Atq;

ex his

ex his quæ de vsu & abusu statim dicemus, erit manifestum.

Vsus enim non abusus legatus est. *De verbis vtor, & vsus, plura Gellius lib. decimo quinto. cap. decimo tertio. Valla lib. quinto eleg. cap. quinto. Adrianus de sermone latino. Brissonius & Hotomanus de verbis iuris. Idē Hotomanus lib. primo de vsuris. cap. secundo. Vtimur igitur, vt & Boetius & Visorius notant, his quæ nobis vtētibus permanent: his vero abutimur, quæ nobis vtētibus pereunt. Vnde Non. Marcell. Abusa dicuntur, vsu cōsumpta. Et Plautus, vbi isthæc quæ dedi ante? abusa sunt. Ergo, vt Cicero subdit, ea sunt inter se contraria.* 4

AB adiunctis: si ea mulier testamentū fecit, quæ se capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto Prætoris secundum eas tabulas possessio dari: adiungitur enim, vt secundū seruorum, secundnm exulum, secundum puerulorum tabulas possessio videatur ex edicto dari. §. XII.

AB adiunctis. *In Partitionibus adiuncta Cicero coniuncta vocat, & consentanea: lib. secundo de Oratore consequentia, sicut & Quintilianus lib. quinto. cap. decimo. Ex consequentibus, ait siue adiunctis: si iustitia est bonū recte iudicandum. Si malū perfidia, nō est fallendum. Idemq; retro. Rodolphus lib. primo, cap. decimo septimo, applicita. Vsum autem huius loci, multis propositis Iurisconsultorum* 1

exemplis, tradunt Bucoldianus lib. primo, cap. decimo quarto. Gamarus lib. secundo. Et Cātiuncula satis multa de exēplo hic à Cicerone proposito.

2 Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite nunquam diminuit. *Iustinianus lib. primo Institut. titulo decimo sexto. Est autē, inquit, capitis diminutio, prioris status mutatio: eaq; tribus modis accidit. Nam aut maxima est capitis diminutio: aut minor, quam quidam mediā vocant: aut minima. Maxima capitis diminutio est, cum aliquis simul & ciuitatem, & libertatem amittit. Quod accidit his, qui serui pœnæ efficiuntur atrocitate sententiæ: vel libertis, vt ingratis erga patronos condemnatis: vel ijs qui se ad precium participandum venundari paßi sunt. Minor, siue media capitis diminutio est, cū ciuitas quidē amittitur, libertas vero retinetur: quod accidit ei cui aqua & igni interdictum fuerit: vel ei qui in insulā deportatus est. Nec aliud scripsisse Callistratū, Ræuardus putat lib. 3. Varior. c. 5. Minima capitis diminutio est, cū ciuitas retinetur & libertas, sed status hominis cōmutatur, quod accidit ijs, qui cū sui iuris fuerint, cœperunt alieno iuri subiecti esse vel cōtra. Hæc eadē Iuriscōsulti, Paulus in l. fin. ff. de Capitis dim. & Vlpianus tit. vndecimo scripserunt. Et explicāt latius, præter Boetiū, Visoriū, Latomū: Adrianus de sermone latino, Petrus Nannius lib. 9. Miscell. in fine. Cælius Rhodig. lib. decimo tertio Antiq. lect. cap. quinquageßimo tertio. Marinus Becichemus, collectaneorū in Pliniū pag. centeßima quadrageßima sexta. Sypontinus in Martialem,*

epigr.

Epigr. quinquageſſ. tert. Coraſius in l. ſenatorem ff. de ſenatorib. Cuiacius lib. ſexto Obſeru. cap. vigeſimo quinto. Hotomanus in partitionib. iuris ciuilis. Titulo nono de patriæ poteſtatis diſſolutione. Sed quod ad nos attinet, in minima capitis diminutione admittendū eſt Ciceronis exemplū. Itaque rectè Sigonius lib. primo de Antiq. iure ciu. Rom. cap. duodecimo, explicans illud ex .12. tab. Paterfamilias vti legaſſit ſuper familia, tutelaue ſuæ rei, ita ius eſto. Quibus, inquit, in verbis illud primum attendendū eſt, non cuilibet legandi poteſtatem lege permitti, ſed patrifamilias tantum, ideſt ciui Rom. qui è patris poteſtate exierit: hunc enim illi patremfam. appellarunt. Itaq; filios fam. eſſe excluſos vſque adeo, vt Cicero etiam in Topic. mulierem quæ ſe capite non diminuiſſet, ideſt quæ emancipata non eſſet, ſi teſtamētū feciſſet, ſecundū eas tabulas poſſeſſionem ex edicto Prætoris dari nō poſſe, concluſerit. Et Hotomanus in .12 tab. fragmentis, tertia parte, cap. vndecimo, illud, ait, ne prætereūdum quidem eſt, quod Cicero in Topicis, & in eadem Boetius demonſtrat, mulierem eam integri capitis dici ſolitam quæ viro in manū non cōueniſſet: quæ vero cōueniſſet, eam capite diminutam fuiſſe. Illam ſine tutoribus autoribus teſtamentum ſcribere nō potuiſſe: hanc arbitratu ſuo, quippe tutela ſolutam ac liberam potuiſſe. Dicebatur vero ea, quæ viro in manū conueniſſet capite diminuta, vt eſt apud eundem Hotomanum, eadem tertia parte cap. quarto, quod eius familia vno capite, ideſt vna perſona diminuta eſſet, vxore in viri familiā & ſacra trāſeunte. Hāc, quandiu quidē in

matrimonio manebat, nihil potuisse de suis bonis sine viri volũtate alienare, idem Hotomanus scribit, potestatem tamen à lege habuisse testamentum faciendi, & in eo de suis omnib. fortunis statuendi: quod innuptæ, quantumuis orbæ, nisi tutoribus autoribus facere non poßent, cum essent in legitima & perpetua tutela: ad quã illud pertinet, quod apud Ciceronem est in Oratione pro Cecinna, quod mulier sine tutore aũtore promiserit nõ deberi. Et in Oratione pro Flacco in manu, inquit, conuenerat: nunc audio. Sed quæro vtrum vsu, an coemptione? Vsu non potuit, nihil enim potest de tutela legitima, sine omnium tutorũ autoritate diminui. Coemptione? omnibus ergo autoribus: in quibus certe Flaccũ fuisse nõ dices. Et in Oratione pro Murena: mulieres omnes propter infirmitatem consilij, maiores in tutorũ potestate esse voluerunt: hi inuenerunt, de Iurisperitis agit, genera tutorum, quæ potestate mulierum continerentur. Idẽ probat Liuius Decada quarta lib. quarto, & lib. nono. Et Vlpianus tit. vndecimo de Tutelis. Et egregie explicãt Alciatus lib. nono Parerg. cap. decimo nono. Cuiacius lib. septimo Obseruat. cap. vndecimo. Hotomanus in partitionibus iuriscivilis tit. decimo de Tutelis. Ræuardus libro. 2, de Iuris ambiguitatibus. c. 10. & Sigonius lib. primo de antiquo iure ciu. Rom. cap. decimo tertio. Postea huiusmodi legitimas fœminarum tutelas lege Claudia sublatas, ex lege tertia. C. de legit. tut. Et Vlpiano tit. vndecimo, satis constare, notat Hotomanus in Indice legum Rom. vbi de Claudia. Et ad leges duodecim tab. tertia parte cap. vndecimo. At Ræuardus lib. primo

Variorum.c.10. festinasse legem Claudiam fœminarū perpetuas tutelas, non sustulisse probare nititur.

Non videtur ex edicto Prætoris secundū eas tabulas possesio dari. *De bonorū possessionibus secundum tabulas, & cōtra tabulas, & ab intestato, integri sunt multiq; tractatus in Pandectis & Codice. Illud animaduertendum est; nonnunquā Iurisconsultos, aduersus tabulas dicere, pro secundum tabulas, non vulgari, aduersus significatione. l. quinta. ff. de vsurpationibus & vsucapionib. Caius, Naturaliter interrumpitur possessio, cum quis de possessione vi deijcitur, vel alicui res eripitur: quo casu non aduersus eum tantum qui eripit, irrumpitur possessio, sed aduersus omnes. Idest non ei tantum vtilis est vsurpatio, qui eripit, sed etiam omnibus, vt Russardus & Hencysus interpretantur. Cuiacius quoq; in notis ad Vlpiani titulos. Brissonius lib. primo de Verborum, quæ ad ius pertinent, significatione, & Hotomanus de verbis iuris. Præterea lege prima. ff. de iure fisci, Callistratus. Vel pœnam fisco ex contractu priuato deberi, vel aduersus leges commissum factum esse. Item Vlpianus titulo vigesimo de Testamentis. Latinus Iunianus item is qui dedititiorum numero est, testamentum facere non potest: Latinus quidem quoniam nominatim lege iunia prohibitus est: is autem qui dedititiorum numero est, quoniam nec quasi ciuis Romanus testari potest, cum sit peregrinus: nec quasi peregrinus, quoniam nullius certæ ciuitatis sciens vt aduersus leges ciuitatis suæ testetur. Et titulo vigesimo octauo de possessionibus* 3

dandis, Bonorum possesio datur, aut contra tabulas testa-mēti, aut aduersus tabulas, aut intestati. Aduersus tabulas, idem Vlpianus paulo post interpretatur, secundum tabulas.

4 Adiungitur enim, vt secundum seruorum, secundum exulum, secundum puerulorum tabulas possesio videatur ex edicto dari. *His omnibus, testamenti factionem interdictam, Vlpianus probat titulo vigesimo de testamentis. Et in Pādectis atq; Institutionibus docemur, titulis, Quibus non est permissum facere testamentū. Ergo ex mulieris testamēto, quæ se capite nunquam diminuit, bonorum possesio non datur. Quod autem ait exules, testamenti factionem non habere, obsides vel captiuos interpretor. l. vndecima. ff. qui testamenta facere poss. obsides testari non possunt, nisi eis permittatur. Et l. octaua, eodem titulo. Eius qui apud hostes est, testamē-tum quod ibi fecit, non valet, quamuis redierit. Et l. decima ff. de testam. milit. facere testamentum hostium potitus nec iure militari potest. Vbi hostium potitus dicitur, qui ab hostibus captus est, vt recte Alciatus, de verb. sign. & lib. primo Parergon, cap. trigesimo quinto. Et Ant. Aug. lib. quarto Emendat. cap. decimo, interpretantur: frequenti dicendi modo apud Iurisconsultos. Nam & Papinianus. l. quod si filius. ff. de Captiuis. Si filius, inquit, ante moriatur in ciuitate: nihil est quod de secundis tabulis tractari posit: siue quoniam viuo patre filiusfamilias mori intelligitur, siue quoniam non reuerso eo exinde sui iuris videtur fuisse, ex*

quo

quo pater, hostium potitus est. Et Tryphoninus l. in bello. §. Codicilli, eodem titulo. Cætera, ait, quæ in iure sunt postea quam postliminio redit, pro eo habentur, ac si nunquam iste hostiũ potitus fuisset. Et Iulianus l. bona. eodem titulo. Apparet eadem omnia pertinere ad hæredẽ eius, quæ ipse qui hostiũ potitus est, habiturus esset, si postliminio reuertisset. Et Vlpianus in l. ab hostibus. ff. ex quib. caus. mai. Ego autem etiam nomine eius, qui hostiũ potitus est, si curator vt plerunq; fuerit bonis constitutus, auxilium competere existimo. Plautus quoq; in captiuis. Nam post quam meus rex est potitus hostium, ita nunc belligerant Aetoli cum Aulidis. Et rursus in eisdem. Ego postquam gnatus tuus potitus est hostium: Expertus quanti fuerit, nunc desidero & in Epidico. Filiam quam ex te suscepi, eductam perdidi, hostium est potita.

Adiungitur enim. *Subiectus terminus est testamentum fœminæ, quæ se capite nunquam diminuit. Prædicatus bonorum possessio secundum tabulas. Maxima propositio, ex adiunctis adiuncta pependi: quam etiam comprobant iura, in l. cum actum. ff. de negot. gest. l. tertia. §. qui habet haustum. ff. de seru. rust. præd. cap. Translato. de Constit. cap. deniq; distinctione quarta.* 5

AB antecedentibus autem, & consequentibus: & repugnantibus, hoc modo. Ab antecedentibus: si viri culpa factum est diuortium, & si mulier nuncium remisit, tamen pro §. XIII

liberis

liberis manere nihil oportet. A consequentibus: si mulier cum fuisset nupta cum eo, qui cũ connubium non esset, nuncium remisit, quoniam qui nati sunt patrem non sequũtur, pro liberis manere nihil oportet. A repugnantibus: si paterfamilias vxori ancillarum vsumfructũ legauit à filio neque à secundo hærede legauit, mortuo filio mulier vsumfructum nõ amittet. Quod enim semel testamento alicui datum est, id ab eo inuito, cui datũ est, auferri non potest: repugnat enim recte accipere, & inuitum reddere.

1 AB antecedentibus autem, & consequentibus, & repugnantibus. *Sic idem Cicero in partitionibus. Et lib. secundo de Oratore, & si alijs nominibus. Quintilianus quoq; lib. quinto. Et Aristoteles lib. secundo Topicorum. Verũ Rodolphus lib. primo, cap. vigesimo primo, hos tres locos argumentandi potius modos appellare vult, quod Foxius improbat. Cur autem Cicero Antecedẽtia, consequentia, & repugnantia coniunxerit, Visorius, Barba, & Foxius scripserunt: nempe quia eodem modo ex vnoquoq; eorum deducuntur argumenta: & quamuis tractatione diuersa, inuentione tamen quam simillima sunt.*

2 Ab antecedentibus. *Antecedẽtia sunt, vt bene Boetius scribit, quibus positis aliud necessario cõsequatur: licet illud*

illud quod antecedit minus sit, atq; posterius. Sed & aliquoties, & quod æquale, & quod simul, & quod prius est, ponitur vt antecedens. Quam sit vero huius loci frequens apud Iurisperitos vsus, Cantiuncula loco ab antecedentibus, Euerardus loco centesimo vigesimo quinto, á concessione antecedentis, & centesimo vigesimo septimo, & Bucoldianus lib. primo. cap. decimo sexto, multis exemplis ostenderunt. Subiectũ in exemplo proposito est, diuortium ab vxore nũciatum. Prædicatum, partis dotis apud virum permansio. Maxima propositio: Dato antecedenti datur consequens. Quam probat. l. refectionis. §. si per tuum. ff. Com. præd. l. prima. §. primo. ff. si vsuff. pet. l. secunda. ff. iurisd. om. iud. l. qui procuratorem. ff. de procuratorib. Exemplum á Cicerone positum, Hotomanus lib. primo Obseruat. cap. vigesimo tertio, pertinere potius putat ad locum á differẽtibus: aliud esse nuncium remittere, aliud diuortij culpam sustinere: atq; hanc differentiam, definitione demum explicari, quid sit diuortij culpam sustinere. Præterea si nulla mißi nuncij mentio fiat, argumentum ex caussa vel posita, vel sublata posse quoq; deduci idem Hotomanus scribit. Ex caussa posita veluti si mulieris culpa diuortium factum est; pars dotis retineatur: Caussa enim illius retentionis efficiẽs est culpa mulieris. Ex sublata, veluti: si non mulieris, sed viri culpa factum est diuortium, nihil ex dote retinendum est.

Si viri culpa factum est diuortium, & si mulier nuncium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet. 3 *Diuortium Romanis ab ipso Romulo permißum*

permissum, Plutarchus scribit in eius vita. Idem. 12. tabulis quoq; licuisse, Cicero indicat Philip. secunda. Frugi factus est. Mimam illam suam, suas res sibi habere iussit ex 12. tabulis. Et Caius Iurisconsultus lib. tertio ad legem. 12. tabularum. Siue penultima. ff. ad leg. iul. de adult. Si ex lege repudium missum non sit, & iccirco mulier adhuc nupta esse videatur. Tamen si quis eam vxorem duxerit, adulter non erit. Diuortium, vt est apud eundem Caium in. l. secunda. ff. de Diuort. vel à diuersitate mentium dictum est: vel quia in diuersas partes eunt qui distrahunt matrimonium. In repudijs, idest renunciatione, comprobata sunt hæc verba. Tuas res tibi habeto. Item hæc. Tuas res tibi agito. In sponsalibus quoq; discutiendis placuit renuntiationẽ interuenire oportere. In qua re hæc verba probata sunt: Conditione tua non vtor. Siue autem ipsi præsenti renuncietur, siue absenti per eum qui in potestate eius sit: cuiusue is, ea ve in potestate sit: nihil interest. Non idem fuisse Diuortium & repudium, Sed repudium sponsæ remitti: inter virum & vxorem diortiũ fieri, Paulus & Modestinus scribunt: & Sigonius notat lib. primo de ant. iur. ciu. Rom. cap. nono. Qua licentia non cupide vsos Romanos, illud est argumẽto, quod anno post Romam conditam quingentesimo vndeuicesimo, Sp. Caruilium Rugam primum Romæ, de amicorũ sententiis, diuortiũ cũ vxore fecisse, quod sterilis esset: iurasseque apud Censores vxorẽ se liberorũ quærendorum caussa habere, Gellius est autor lib. decimo septimo cap. vltimo. Et lib. quarto cap. tertio idẽ Gellius scribit memoriæ traditum

traditum, quingentis fere annis post Romam conditā, nullas rei vxoriæ, neque actiones, neq; cautiones in vrbe Romæ, aut in latio fuisse: quia profecto nihil desiderabātur: nullis etiam tunc matrimonijs diuertentibus. Seruiū quoque Sulpitium in libro quem composuit de Dotibus, tum primū cautiones rei vxoriæ necessarias esse visas scripsisse cum Sp. Caruilius cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, diuortiū cū vxore fecit, quia liberi ex ea corporis vitio non gignerētur, anno vrbis conditæ, D X X I I I. Quo loco apud Gelliū, vt & hoc obiter non prætermittam, pro, quingentis ferè, legendum, sexcentis ferè, ex Tertulliano de Monogamia, & in Apologetico Cuiacio lib. primo Obseruat. cap. trigesimo nono. Et Hotomano, ad leges .xii. tab. tertia parte. cap. octauo. Cæterū tribus tantū de caussis diuortium maritis Romulū permisisse, si vxores veneficium in liberos cōmisissent: si partum subiecissent: si probri quid cū alienis viris fecissēt, Hotomanus scribit. Cælius Rhodiginus lib. decimo quinto, cap. 16, si in liberorum veneficio, aut in adulterio deprehenderentur, aut claues subiecissent. Si aliter quis repudiasset eius opum vxori portionem dari, reliquum Cereri esse sacrū. Alex. ab Alex. lib. quarto cap. octauo. Vt perpetuū iniquit, hoc coniugale fœdus, & sine dissidio foret, vxori virum relinquere, & cū alio copulari, nequaquam licebat. Viro nisi vxor in adulterio, aut veneficio, seu clauiū adulteratione, deprehensa foret, aut si vinum biberet, leges à Romulo latæ diuertere nulli sinebant, qui aliter dissidium fecisset, bona viri ad vxorem deuolui voluere.

Iam

Iam quod ad totam argumentationem attinet, Ciceronem recte collegisse certum est. Nam si vxoris culpa diuortium fiat, dotem apud maritum manere, Accursius in l. Cũ post diuortium. ff. de iure dot. & Rofredus, quæstione trigesima quinta tradiderunt. Si mariti culpa fiat, nihil apud eum remanere Sceuola probat, lege quadragesima septima. ff. solut. mat. Cum mulier, inquit, viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur. Et Alex. ab Alex. lib. sexto cap. decimo, ait. Viro ab vxore diuertere, aut res suas sibi habere, nisi caussa legitime cognita, eisdem tabulis vetabatur: quo diuortio nulla vxoris culpa subsecuto, dos integra repetebatur: si vero culpa in esset vsq; ad dimidium dotis, in singulos liberos sexta à marito retinebatur. Vlpianus quoq; titulo sexto de Dotibus. Retentiones, inquit, ex dote fiunt, aut propter liberos, aut propter mores, aut propter impensas, aut propter res donatas, aut propter res amotas. Propter liberos retentio fit, si culpa mulieris, aut patris cuius in potestate est, diuortium factum sit: tunc enim singulorum liberorum nomine sextæ retinentur ex dote: nõ plures tamen quam tres sextæ in retẽtione sunt, non in petitione, & Forcatulus in Cupidine Iurisperito. cap. septimo, numero secundo. Veriorem ait & consuetudine, & iure ciuili illorum opinionem qui dicant, dotem ibi manere, vbi liberi maneant. Illud quoque notandum est quod Roscius lib. secundo Memorabilium cap. septimo, numero sexagesimo septimo, scribit: debere quidem legitimam matrem tribus annis primis, liberos alere, lege. Nec filius. C. de pat. pot. vbi

Accursius

Accursius, etiam si protestata fuerit se alimenta repetituram interpretatur. l. alimenta. Vbi idem Accursius in Verbo materna. C. de neg. gest. Nisi forte non possit lactare mater, morbi necessitate, aut iusta alia quauis caussa: vel etiã nisi nobilitati indecorum sit liberos alere, vt voluit Bartolus in tractatu alimentorum, quæstione sexta. Sed si in matrimonio separatio fuerit, & quidem absque viri culpa, tunc quoque matrem triennio liberos alere teneri Roscius ait: si vero culpa viri, nutriri penes vxorem liberos, expẽsis tamen viri. Illud quoq; probari posset quod in. l. Titia cũ testamento. §. si ea conditione. ff. de legatis secundo, argumẽto illius, notant Peralta numero secundo, & Grado numero tertio. Si viri culpa fiat ne vxor cohabitet, teneri virum vxori seorsum alimenta præbere. Sed & illud etiam admitti posse videtur, ad lucrum dimidiæ partis bonorum lucratorum cõstante matrimonio, necessariam quidem esse mutuam cohabitationem, vt lege prima, titulo de las ganancias. lib. tertio Fori. Et lege prima, eodem tit. lib. quinto Ordin. probatur. Et in nouis Ordinationibus, lib. quinto, tit. nono. Lex secunda ait. Toda cosa que el marido y la muger ganaren ò compraren estando de con suno, ayan lo ambos por medio. *Verum si cohabitatio culpa viri dirempta sit, vxorq; mariti culpa diuerterit, nõ amissuram eam medietatem talium bonorum, argumento sunt, tum supra dicta omnia, tum alia quæ in. l. si conuenerit. ff. pro socio. Interpretes notauerunt: atq; id verum esse, Segura in repetit. l. vnum ex familia. §. sed si fundum.*

F col.

col. decima. ff. de legatis secundo. Recte probat.

4 A Consequentibus. *Bucoldianus lib. primo. cap. decimo sexto. Hunc locum per reliquos omnes ducit. Multiplicem quoq; huius loci in iure ciuili vsum, docent Euerardus loco. C X X V I. & C X X V I I I. Et Cantiuncula loco. X V I I. Quod vero ad exemplum attinet Boetius ab antecedentibus potius ductum putat: sed eius sententiam, Cantiuncula, & Hotomanus non probant. Hotomanus lib. primo Obseruat. cap. vigesimo tertio. Exemplum, inquit, qui est à Consequētibus, Boetius imperite sumptum putat, & non à Consequentibus, sed ab antecedentibus esse ductum hoc modo. Si mulier cum fuisset nupta cum eo, cui connubij ius non esset, nuncium remisit: quoniam qui nati sunt patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet. Existimat enim Boetius antecedens esse nuptias cum eo cum quo connubium non erat: Consequens, Nihil pro liberis detrahi: Cum tamen paulo ante dixerit, illud esse subiectum, hoc prædicatum. Quod in Boetio, quem summum dialecticum fuisse constat, vehementer miror. Nam Cicero medium ex consequentibus perspicue sumit, ex eo quod nati patrem non sequātur, hoc modo: si quid pro liberis retinendum est, liberi patrem sequuntur: at nati ex ista coniunctione patrem non sequuntur, ergo nihil retinendum est. Apertius tamen Cicero exemplū ita proposuißet, si quid pro natis retinendum est, fuit diuortium: si fuit diuortium, etiam matrimonium: At matrimonium non fuit, quare nihil retinendum est. Atq; hæc quidem Hotomanus.*

Cantiuncula

Cantiuncula sic ait. Mihi sit Agricolæ quam Boetij opinio verisimilior: dum hic Ciceronis exemplum ab antecedentibus fluere putat: ille voluisse Ciceronem argumentationem petendam ab eo quod ex conditione consequens esse potest. Idq; vt liqueat, sic thema fingamus. Ex viro & muliere, cui cum illo connubij ius non erat, liberis natis, diuortioq; facto, quæstio est an apud patrē pro liberis aliquid manere oporteat. Nihil manere oportere, sic ex consequenti probare licebit. Si mulier nupserit ei cū quo connubiū non esset: hoc antecedens: qui nati sunt patrem non sequuntur: hoc cō sequens. Iam ex hoc consequenti sumamus argumētationē: sed ij liberi quorum gratia quæstio est, patrem non sequuntur. Infertur: pro liberis ergo manere nihil oportet.

Si mulier cum fuisset nupta cum eo, qui cum 5
connubium non esset, nuncium remisit. *De Cōnubiorū iure, multa docte & copiose Sigonius de iure ant. ciu. Rom. lib. primo. cap. nono. Et Hotomanus in Partitionibus iuris ciuilis tit. quinto de nuptijs. Brissonius lib. primo Select. cap. decimo tertio. Et Vlpianus tit. quinto de his qui in potestate sunt. Sed & interdicti matrimonij in iure ciuili obuia sunt exempla, inter Senatoris filiam & Libertinum, in l. Oratione. ff. de rit. nupt. l. Oratio. ff. de sponsalib. etiam ab ingenuo arrogatum. l. Sciendum ff. de rit. nupt. Inter pupillam & tutorem, vel eius filium, in. l. Senatusconsulto. ff. de rit. nupt. l. nō est. Eod. tit. l. Tutor. ff. de sponsalib. Inter prouincialem & rectorem prouinciæ in. l. qui in prouincia. ff. de rit. nupt. l. vna. C. si rector prouinc.*

Inter plebeios & Senatores apud Liuium, & Hotomanum ad leges. 12. tab. tertia parte cap. sexto. Quæ omnia in melius æquiusq; à sacris canonibus reformata sunt. De iustis vxoribus, & iniustis multa doctè, & noue Rævardus lib. quarto. Variorum. cap. decimo sexto.

6 Quoniã qui nati sunt, patrem non sequuntur. *Nam lex naturæ est vt qui nascitur sine legitimo matrimonio matrem sequatur, nisi lex specialis aliud inducat. l. vigesima quarta. ff. de statu hom. Vbi legem specialem Vlpianus appellat legem Mensiam, quæ ex alterutro peregrino natũ, deterioris parentis conditionem sequi iubebat, vt est apud eundem Vlpianũ tit. quinto. Et Hotomanus notat in indice legum Rom. Sed & aliis caussis liberos quandoq; patrem nõ sequi, idem Vlpianus scribit in. l. prima. §. primo. ff. de liber. exhib. si vero, inquit, mater sit, quæ retinet, apud quam interdum magis quam apud patrem morari filium debere, ex iustissima scilicet caussa, & Diuus Pius decreuit, & à Marco & à Seuero rescriptum est, æque subueniendum ei erit per exceptionem.*

7 Pro liberis manere nihil oportet. *Si enim aduersus ea quæ diximus aliqui coierint, nec vir, nec vxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. §. si aduersus. Institut. de nuptiis. l. tertia. ff. de iure dotium, vbi Vlpianus ait. Dotis appellatio non refertur ad ea matrimonia quæ consistere non possunt: neq; enim dos sine matrimonio esse potest. Vbicunq; igitur matrimonii nomen non est, nec dos est.*

A repu-

A Repugnantibus. *De hac re Cantiuncula loco deci* 8
mo octauo, vbi ad idem pertinere ait locos ab absurdo, & ab ordinatione: quos & Euerardus explicat loco decimo nono, & vigesimo tertio, & centesimo tertio, Et Bucoldianus lib. primo cap. decimo sexto. Et Titelmanus lib. quinto Dialect. cap. vigesimo sexto, præter Aristotelē lib. secundo Topic. & Quintilianum lib. quinto, cap. decimo.

Si paterfamilias vxori. *Atq; hæc sententia lege ci-* 9
uili cōprobata est, nonagesima octaua. ff. de legatis tertio. Si plures gradus sint hæredum, & scriptum sit hæres meus dato: ad omnes gradus hic sermo pertinet. Sicuti hæc verba quisquis mihi hæres erit. Itaq; si quis velit non omnes hæredes legatorum præstatione onerare, sed aliquos ex his: nominatim damnare debet.

Ancillarum vsumfructum. *In quo partū nō cōtine* 10
ri, probant. l. vetus fuit quæstio. ff. de vsufruct. l. in pecudū. ff. de vsuris. §. in pecudum. Instit. de rerum diuis.

Legauit, à filio. *Idest iussit filium vxori præstare, mo-* 11
do loquendi in iure peculiari, vt Latomus notat: & Hotomanus lib. primo Obseruat. cap. vigesimo primo ait. Legare ab aliquo cum dicimus, aliquem, hæredem intelligimus, vt non ex hæreditatis asse legatum detrahatur, sed ex eius duntaxat parte, qui nominatus est.

Neque à secundo hærede legauit. *Secundum hære* 12
dem substitutum dici, Caius probat lib. secundo Institut. tit. quarto. Substitutio, inquit, est quæ post institutionem à testatore fieri solet, idest secundi hæredis appellatio. Et

Papinianus in l. quarta. ff. de Sc. Sillaniano. Qui posthumos hæredes instituerat, nō natis posthumis vxorē secūdo loco scripsit hæredē. Et Sallustius in Iugurt. Erat in exercitu nostro Numida quidam Massinissæ nepos, quem Micipsa testamento secūdum hæredem scripserat. Et Suetonius in Cæsare, Cæsar complures percussorum in tutores filij, si quis si bi nasceretur, nominauit: Decium Brutum etiam in Secundis hæredibus. Hinc quidam secundas tabulas, eam testamē ti partem interpretantur, in qua nominentur substituti. In l. secunda. §. interdum l. si filius qui patri. ff. de vulgari. l. liberi. §. posthumi. ff. de adim. leg. l. mater. ff. si quis om. caus. test. l. Nā quod. §. si quis. ff. ad Trebell. Sed verius est quod Brissonius scribit lib. tertio Select. cap. duodecimo. Pupillares tabulas in libris nostris secundas appellari. Idq; apertius probant Vlpianus in l. prima, in principio. ff. si cui plus quam per leg. fal. Neq; interst, ait, vtrum in primis tabulis hoc fiat, an in pupillaribus, an in vtrisque. Et Papinianus in l. cohæredi. §. sexto. ff. de vulgari. Cum pater impuberi filiæ, quæ nouissima diem suum obisset, tabulas secundas fecisset, & impubes filia, superstite sorore pubere, vita decessisset, irritam esse factam substitutionem placuit. In persona quidem prioris, quia non nouissima decessit: in alterius vero, quia puberem ætatem compleuit. Huius autem appellationis ratio apud Vlpianum est, in l. secunda. §. tertio. ff. de vulgari. Prius, inquit, sibi quis debet hæredem scribere, deinde filio substituere, & non conuertere ordinem scripturæ. Et hoc Iulianus putat, prius sibi debere,

deinde,

deinde filio hæredem scribere. Ceterum si ante filio, deinde sibi testamentum faciat; non valere. Quæ sententia rescripto Imperatoris nostri ad Virium Luppum Britanniæ præsidem comprobata est. Caius quoque lib. secundo Institut. tit. quinto. Sed pupillaris [illegible]stitutio, ait, ita secreta esse debet, vt ad notitiam substituti peruenire non posit: ne vitæ pupilli aliquas substitutus insidias moliatur. Nam in extrema pagina testamēti fieri debet, vt pars illa in qua substitutio pupillaris scripta est, quandiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obsignata permaneat, & prior pars testamenti, in qua hæres scriptus est, reseretur. Et Iustinianus Imp. lib. secūdo Institu. tit. decimosexto. Igitur in pupillari substitutione, inquit, secundum præfatum modum ordinata, duo quodammodo sunt testamenta: alterum patris, alterum filij, tanquam si ipse filius sibi hæredem instituisset. Aut certe vnum testamentum est duarum caussarum, idest duarum hæreditatum. Sin autem quis ita formidolosus sit, vt timeat ne filius suus pupillus adhuc ex eo, quod palam substitutum acceperit, post obitum eius periculo insidiarum subiaceat, vulgarem quidem substitutionem palam facere, & in primis testamenti partibus ordinare debet: illam autem substitutionem, per quam si hæres extiterit pupillus, & intra pubertatem decesserit, substitutus vocatur separatim in inferioribus partibus scribere debet: eamq; partem proprio lino, propriaq; cera consignare. Et in priore parte testamenti cauere, ne inferiores tabulæ viuo filio, & adhuc impubere aperiantur.

13 Mortuo filio mulier vſumfructum non amittet. *Quia legata relicta ab instituto, censentur repetita à substituto.l.licet Imperator.ff.de legatis primo. Nec est verisimile testatorem velle vt amplius ad substitutum perueniat, quam ad institutum.l.Publius Mæuius.§. Titia. ff. de Condit.& demonst.l.Seruo alieno.§.si quis à primo.ff.de legatis primo.l.Cum pater.§.ab instituto.ff.de legatis secūdo l.Gaio Seio.ff.de adim.legat.*

14 Quod enim ſemel teſtamento alicui datū eſt, id ab eo inuito cui datū eſt, auferri nō poteſt. *Sic & Pomponius capite vndecimo. ff. de reg. iur. id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. Et quidem extraneum auferre non posse certum est: sed an testator ipse repetere poßit quod legauit, recte quæritur, in l.Lucius Titius.ff.de legatis secundo. Et de ea re, Peralta, Grado, & Antonius Gomez, nō satis cōueniunt.*

15 Repugnat enim recte accipere, & inuitū reddere. *Hunc locum refert Donellus in libro de fructibus, pag. septuageßima sexta. Veramq; esse & iuri consonam argumentationem probat.*

§. XIV. AB efficientibus cauſsis, hoc modo: omnibus eſt ius parietem directum ad parietē communem adiungere, vel ſolidum, vel fornicatum. At ſi quis in pariete communi demoliendo damni infecti promiſerit, non debebit præſtare, quod fornix vitij fecerit. Non enim

enim eius vitio, qui demolitus est, damnum factum est, sed eius operis vitio, quod ita ædificatum est, vt suspendi non posit.

AB efficientibus causßis. *Caussa est ad cuius esse sequitur aliud, caussa efficiens, à qua primo fit motus vt aliquid fiat. Titelmanus lib.5. Dialect. cap. vndecimo, plura de diuisione caussarum. Efficientis quoq; vsum docet cap. duodecimo. Et eiusdem exempla ex sacra scriptura & iurisprudentia proponit eodem capite: & multum esse caussarum vsum apud poetas, cap. decimo septimo. De hoc præterea loco multa Quintilianus lib. quinto, cap. decimo. Bucoldianus lib. primo, cap. decimo septimo. Gamarus lib. primo. Cantiuncula loco vigeßimo, Corasius de iuris arte, prima parte, cap. vigeßimo. Illud notandum est, Ciceronem hic de causßis tantum efficientibus agere, vt Boetius & Visorius probant. Non de omnibus causßis, efficientium nomine, vt Agricola, Latomus, & Corasius putauerunt.* 1

Omnibus est ius. *Hotomanus lib. primo Obseruationũ cap. vigeßimo quarto, vt melius hoc exemplũ intelligatur, huiusmodi ponit caussæ cõstitutionem. Cum Octauius ad parietem inter se & Nonium communem, fornicatum parietem pro suo iure adiunxisset. Nonius autem vicinus aliquid ædificaturus, parietem communem demoliri vellet, damni infecti nomine promisit, idest promisit se damnum, si quod opus illud suum, nimirum demolitio, faceret præstaturum. Euerso pariete communi, fornicatus qui suspendi non* 2

 poterat.

poterat corruit. Agit octauius, intentio, opus tuũ mihi damnũ hoc fecit. Depulsio, imo tuum. Quæstio, vtrius opus damnum fecerit. Ratio, quia nisi fornicatum parietem fecisses quamuis communem parietem demolitus essem, tamen ille non corruisset. Firmamentum, At nisi tu parietem demolitus esses, meus non corruisset. Quam responsionem propterea infirmam esse videmus, quia cum vtrinq; dici hoc poßit nisi tu istud fecisses, hoc non accidisset, ac proinde alter in alterum caussam sine qua nõ transferat: tamen plus in priore est, quam in posteriore: adiectũ est enim, quamuis hoc fecissem, quod ab altero referri non potest. Hæc Hotomanus.

3 Omnibus est ius parietem directum ad parietem communem adiungere. Modo, non supra parietem communem, suum parietem ponat. l. quidam hiberus ff. de seru. vrb. præd. Sed ita adiungat vt etiam sublato cõmuni pariete maneat: nec impediat refectionem communis parietis l. fistulam. §. iuxta. ff. de seru. vrb. præd. Communis paries quis sit, Ouidius lib. quarto Met. indicat. Fissus erat tenui rima, quam duxerat olim, cum fieret paries, domui communis vtrique. Directus, Vitruuio libro septimo est, contiguus qui iuxta alterum attolitur, & ei coagmentatur. Solidus, qui arcum non habet. Fornicatus qui habet arcum. Arcus quoque, fornix. Camera & testudo, licet cognata sint, tamen ea interse differre, probat Budæus in l. sed addes. §. si inquilinus. ff. locati. Quod ad hunc locum attinet, directum parietem Cicero appellat, autore Hotomano, qui, exempli gratia, communem sic attingit, vt in

litera.T.deorsum pendens linea, transuersam superiorem attingit.

Vel solidum vel fornicatum. *Parieti cõmũni, vel solido vel fornicato, licet parietem directum adiungere, vt Boetius & alij interpretantur. Sed magis ad rem Hotomanus, parietem directum vel solidum, vel fornicatum licere parieti communi adiungere.* 4

At si quis in pariete communi demoliendo. *Quod cuiuis dominorum facere licet, si agat Communi diuidundo iudicio.l.si ædes.ff.Com.diuid.Nec mouet, quod in.l.octaua.ff.de ser.vrb.præd. dicitur, parietem, qui naturali ratione communis est, alterutri vicinorum demoliendi eum & reficiendi ius non esse, quia non solus dominus est: quod de iure seruitutis accipiendum est, vt & titulus ipse, &.l.in re communi.Eod.tit.satis ostendunt.* 5

Damni infecti promiserit. *Damnum infectum est, damnum non dum factum, sed futurum veremur. Damnum & damnatio, ab ademptione & quasi diminutione patrimonij dicta sunt.l.prima, &.l.tertia.ff.de damno infecto.* 6

Non debebit præstare. *Præstare culpã, casum, periculũ, vitiũ quid sit explicãt Brissonius & Hotomanus de verbis iuris.Valla lib.6.c.16.et Adrianus de Serm.latino.* 7

Quod fornix vitij fecerit. *Igitur nõ paries cõmunis erat fornicatus, sed primum à vicino adiunctus: aliàs vitium quod cõmunis paries fecisset, teneretur præstare is qui eum demolitus esset, & damni infecti cauisset. Quandoquidem si iuxta parietẽ cõmunem quis super ædificet, vel eum* 8

aut

aut reædificet, aut tollat altius, stipulari damni infecti solet. l. inter quos iuncta gl. ædificat. ff. de Dam. infect. & damnum quo'd euenerit præstare tenetur. l. ex damni. §. quoties ff. eodem titulo.

9 Non enim eius vitio. *Idest parietis communis.* Qui, *scilicet paries communis.* Demolitus est damnum factum est: sed eius operis vitio. *Videlicet parietis fornicati adiūcti ad parietem cōmunem.* Quod ita ædificatum est vt suspendi non possit. *Nimirū quia fornicatum opus parieti communi adiunctum, diruto pariete communi, stare non potest.*

§. XV. AB effectis rebus, hoc modo: Cum mulier viro in manum conuenit, omnia, quæ mulieris fuerunt, viri fiunt, dotis nomine.

1 AB effectis rebus. *De vsu huius loci ab effectis, satis multa Euerardus loco vigesimo primo, Cantiuncula loco vigesimo primo. Appellus cap. quarto. Gamarus lib. primo. Bucoldianus lib. primo cap. decimo septimo.*

2 Cum mulier. *Boetius scribit, exemplum hoc nō ab effectis esse, sed ad caussam magis pertinere: & Boetij sententiam Cantiuncula, Hotomanus, Latomus & Barba probauerunt. Ego ab effectis ductam recte argumentationem cum Cicerone puto: quia caussa, viro bona vxoris vindicāti illa per se parum confert: effectus à caussa productus plurimum. Quid enim efficiet & si probet illam se coemptione duxisse,*

duxisse, nisi ostendat huius in manum conuentionis effectum esse, vt vxoris bona marito cedant. Igitur effectus victoriam præstat, non caussa: quamuis sine caussa quidem effectus non esset. Possessionis ciuilis effectus est vsucapere & præscribere: Possessionis naturalis, adquirere fructus: contendo rem meam esse, quod eam certo tempore possederim.

Cum mulier viro in manum conuenit, omnia quæ mulieris fuerũt, viri fiunt dotis nomine. 3

Sic se rem habere abunde probatum existimo, ex his quæ supra diximus in loco à forma generis. Imo id olim lege cautum, vt omnia bona eius, quæ in manum viri conuenisset, viri dotis nomine fierent, vidit, gl. in l. mulier bona. ff. de iure dot. & apud Alexandrum ab Alexandro relatum est, lib. quarto cap. octauo. Nec quicquam mutat quod Forcatulus dialogo trigesimo nono, Necyom. numero quarto, multis testibus non necessarijs, multisq; legibus citatis contendit mulierem nubentem, omnia bona in dotem non conferre. Distinctione enim temporum, quod ille non animaduertit, facile, vt dici solet, scripturæ concordantur. Sanè Cicero de Vxore agit, quæ in manum viri conuenisset, quo in genere matrimonij, bona vxoris omnia ad maritum pertinere, imo vxorem ipsam sui hæredis loco haberi viro, certum est. Verum hæc forma in disuetudinem ire cœpit Tiberij tempore vt apud Tacitum est lib. quarto Ann. quanquam ad Papinianum vsque, Vlpianum & Paulum eius mansisse vestigia, eorum probent scripta. Post modum Iustiniani ætate,

qui

qui post Tiberium, feré. D. annis fuit, post dictos Iurisconsultos plus minus. C C C. omissa erat omnis conuentio in manum, & matrimonij veteres illæ antiquatæ formæ, vt mirũ non sit, cessante caussa, effectum quoq; atq; ab effectu cessasse argumentationem. Quare notasse bene Cuiacium existimo apud Vlpianum titulo nono, de his qui in manu sunt. Tribonianum in l. vxorem. ff. de rit. nupt. & in l. ex ea parte. §. primo. ff. de verb. ob. scripsisse, in matrimonium conuenire, cum tamen apud Papinianum fuisset, in manum conuenire. Et in l. si cõcubina. ff. rerum am. conuenit, pro in manũ conuenit.

§. XVI EX cõparatione autem omnia valent, quæ sunt eiusmodi. Quod in re maiore valet, valeat in minore: vt si in vrbe fines non regũtur, necq; aqua in vrbe arceatur. Item contra: Quod in minore valet, valeat in maiore, licet idem exemplũ conuertere. Item: Quod in re pari valet, valeat in hac, quæ par est: vt quoniã vsus autoritas fundi bienniũ est, sit etiam ædium. At in lege ædes nõ apellantur, & sunt ceterarum omnium, quarum annuus est vsus: valeat æquitas, quæ paribus in caussis, paria iura desiderat.

1 EX comparatione autem omnia valẽt quæ sunt eiusmodi. *Comparationis deffinitionẽ, partes & vsum tradunt Cicero lib. primo de Inuẽtione lib. secũdo de Ora-*

de Oratore, & in Partitionibus. Aristoteles lib. secundo & tertio Topic. Quintilianus lib. quinto. Rodolphus lib. primo, cap. vigesimo quinto. Euerardus loco decimo sexto. Gamarus lib. secundo. Bucoldianus lib. primo. Cātiuncula loco vigessimo secundo. Titelmanus lib. quinto Dialecticæ, cap. vigesimo septimo.

Quod in re maiore. *Maius dicitur, autoribus Titelmano & Gamaro & Hotomano, non secundum quantitatem aut potentiam: sed secundum maiorem vel minorem essendi rationem. Idest quod magis probabile & consentaneum est. Itaq; si quis dicat, qui familiam suam non recte administret, inneptum futurum ad gubernādam Remp. ex maiore argumentatur, cum probabilius sit quempiam domum quam ciuitatem posse regere.* 2

Quod in re maiore valet, valeat in minore. *Hāc esse maximā propositionē argumēto inclusam, Boetius Cantiuncula, Barba & Hotomanus lib. primo Obseru. cap. vigesimo quinto recte putāt: Visorio & Agricola licet cōtradicētibus. Illud apud omnes constat, affirmando hunc locum nō valere, sed negādo. Quare Hotomanus duas negationes deesse, atq; hoc modo legendū arbitratur. Quod in re maiore non valet, non valeat in minore. Cantiuncula constare propositionem verbis affirmatiuis, sensu negatiuo.* 3

Si in vrbe fines non regūtur. *Quia vt est apud Vlpianum. l. secunda. ff. fin. reg. hæc actio pertinet ad prædia rustica. Et Paul. l. quarta. §. decimo. Hoc iudicium locum habet in confinio prædiorum rusticorum, Vrbanorum displi-* 4

displicuit. In vrbe, bene Cantiuncula interpretatur, idest in vrbanis prædijs. Nam si plurimum horti in reditu sunt, vinearij forte, vel etiam olitorij, magis hæc non sunt vrbana l. vrbana prædia. ff. de verb. sig. l. si prædium. C. de præd. & al. rer. min. In his autem iudicio locum esse, idem Paulus scribit loco citato. Et in vrbe, inquit, hortorum latitudo contingere potest, vt etiam finium regundorum agi posit.

5 Neque in vrbe aqua arceatur. *Vlpianus in. l. prima. §. decimo tertio. ff. de aqua & aq. pl. arc. Item sciẽdum est, ait, hanc actionem nõ aliàs locum habere, quam si aqua pluuia agro noceat. Ceterum si ædificio vel oppido noceat, cessat actio ista. Et. §. decimo quarto. Apud labeonem inuenio relatum, si ex agro meo aqua fluens noceat loco qui est intra continentia, hoc est ædificio: nõ posse me aquæpluuiæ arcendæ conueniri. In vrbe, autem accipe, idest intra continentia ædificia. Aliàs in illis quæ, quanquam intra continentia sint, magis non sunt vrbana, aquæpluuiæ arcendæ esse actionẽ putat Cantiuncula. Illud à plerisque dubitatur, quo modo finium regundorum iudicium maius sit actione aquæ pluuiæ arcendæ. Et quidam existimant maius eße fines regere quam aquam pluuiam arcere, quia prius sit fines disterminare. Etenim si fines agrorum discreti non essent, non posset agi de aqua pluuia arcenda: vt si ædificia disiuncta nõ essent, nec esset de stillicidijs aliqua dissensio. Cantiũcula aquæpluuiæ actionem dicit probari esse specialem, in l. prima. §. decimo tertio. ff. eod. tit. quod de iudicio finium regundorum nusquã dicitur. Quim vel ex eo videri iudiciũ*

pinguius

pinguius esse ac maius, quod duplex à iurisconsultis appelletur, & in eo vnusquisque tam actoris quam rei partes sustineat. In. l. in tribus. ff. de iudic. iuncto. §. penultimo. Instit. de interdict. vbi gl. Et doctores. Et Iaso in Rubrica. C. de Iudicijs.

Item contra quod in minore valet, valeat in 6 maiore. Licet idem exemplum conuertere. *In vrbe actionẽ aquæpluuiæ denegat prætor, ergo & iudicium finium regũdorum. Actio aquæpluuiæ cessat in vrbe, igitur & iudicium finium regundorum. In agris pluuia arcetur, ergo & fines regantur.*

Quod in re pari valet, valeat in hac quæ par 7 est. *Maxima propositio inclusa argumentationi: de qua Titelmanus lib. quinto Dialecticæ cap. trigesimo. Et Euerardus loco decimo quarto.*

Quoniam vsus autoritas fundi biennium est, 8 sit etiam ædium. *Lambinus præfatione in Horatium ait scribendum, autor, & autoritas, sine, h. Et sine, c, Becichemus in Plinium, cum. c. potius sed sine, h, auctor & auctoritas: non author & authoritas. Ceterũ hæc dictio multa significat, ac primum Imperatoris aut Præsidis literas, vt bene probat Ant. Augustinus, lib. tertio Emendationũ cap. sexto. Ex. l. vltima. C. de fabricensibus lib. vndecimo. l. vlt. de vend. re. ciu. l. diligenter. De aquæ duct. l si quis. De omni agro des. lib. duodecimo. Est etiam autoritas, sedes quædam argumenti, de qua dicemus statim. Et ea vtitur iurisconsultus in. l. septimo mense. ff. de stat. hom. Pro consensu*

autoritas ponitur in l. Cum adoptio. ff. de Adoptionib. Et autor dicitur qui consentit, ratum habet, & comprobat, in l. si quis. eod. tit. vbi Corasius & Oroscius aduertunt: idemq; apud Ciceronē significat in oratione pro domo sua. Sed & actionē pro euictione, autoritatem appellat l. fin. ff. de Euictionib. & Paulus lib. secundo, Receptarū sententiarū. tit. decimo septimo. §. primo & tertio. Et Seneca lib. quarto, Naturalium quæstionum. Si mihi parum credis, Posidonius autoritatem promittet. Inde autoritatis tabulæ, las cartas de venta, in l. vlt. ff. de Pign. act. & apud Senecā, lib. quarto, Controuersiarum. Controuersia vigesima secunda Hinc primi autores dicūtur hi à quibus ius in nos transit. in l. Herennius. ff. de Euictionib. & secūdi autores qui de euictione fidei iubēt, in l. quarta. ff. de Euictionib. & notāt Ant. Augustinus loco citato. Alciatus lib. 2. Parerg. cap. 9. Brissonius de verb. quæ ad ius pert. sig. Et Picardus in Annot. in Pandect. Dicitur quoq; autoritas vsucapiendi cōditio, in legibus. 12. tab. & à lege Attinia. & à Cicerone de Aruspicum respons. Et pro, A. Cecinna. Atq; hoc loco Topicorum quē ita interpretamur, autoribus Budæo in Annot. Corasio in l. Qui in vtero. ff. de statu hom. Francisco Florido, de Iuris ciuilis interpretatibus, fol. centesimo quinquagesimo primo. Alciato lib. secundo Parerg. cap. nono. Hotomano lib. primo Obseruationum. cap. vigesimo quinto. Picardo in. §. furtiuæ. Instit. de vsucapionb. Cātiūcula & Euerardo locis supra citatis. Pro iusto quoque iure dominij, autoritatē accipi probat Sigonius lib. 1. de Antiq. iur. ciu. Rom. cap. 11. Sed

& pro.

& pro maiestate quadam & grauitate, & quod dicimus, persona de autoridad, sumi videtur in l. Deinde. in fin. ff. de lib. exhiben. Cum audis, inquit, matremfamilias accipe notæ autoritatis fœminam. Postremo, fundum pro autore dixere Plautus in Trinumo. act. quinto. Festus Pomp. lib. sexto. Et Gellius, lib. decimo nono. cap. octauo.

Quoniam vsus autoritas fundi biennium est, 9
sit etiam ædium. *Hotomanus in Partitionibus iuris ciuilis tit. decimoquarto. de Iure Quiritũ, & lib. primo Obserua. cap. vigesimo quinto, & in Fragmentis legum. 12. tab. tertia parte. cap. vigesimo sexto. Legendũ contẽdit hoc loco. Quoniam vsus autoritas fundi biennis est. Quasi vsus, substantiuum: biennis adiectiuum sit: sensusq; talis, quoniam biennis vsus ædium, idest possessio ædium per biennium continuata, est autoritas fundi, hoc est iusta & legitima caussa retinendi dominiũ fundi: sit etiam ædium: quæ tametsi fundi appellatione non contineãtur, sed prædij: tamẽ quia sunt res immobiles perinde vt fundus, eodẽ iure censendæ sunt. Acute quidem hæc Hotomanus & erudite, sed cum in oratione pro Cecinna Cicero de eadem re agens ita scribat, lex vsum autoritatem fundi iubet esse biennium. At vtimur eodem iure in ædibus, quæ in lege non appellantur. Nihil facile muto.*

At in lege ædes non appellantur. *Obiectio.* 10
Et sunt cæterarum omnium, quarum annuus 11
est vsus. *Idest prætermissæ cum sint, videntur inter eas res censendæ, quæ anno vsucapiuntur.*

12 Valeat æquitas quæ paribus in caussis paria iura desiderat. *Respondet obiectioni.*

§. XVII. QVAE autem extrinsecus assumuntur, ea maxime ex auctoritate ducuntur. Itaque Græci tales argumentationes Atéchnus vocant, idest artis expertes: vt si ita respondeas: Quoniam. P. Scæuola id solum esse ambitus ædium dixerit, quod parietis cõmunis tegendi caussa tectum proijceretur, ex quo in tectum eius, ædes qui protexisset, aqua deflueret, id tibi ius videri.

1 QVAE autem extrinsecus assumuntur, ea maxime ex auctoritate ducuntur. Itaque Græci tales argumentationes Atéchnus vocãt, idest artis expertes. *Quintilianus lib. quinto cap. primo. Prima quidem, ait, illa partitio ab Aristotele tradita, consensum ferè omnium meruit: alias esse probationes quas extra dicendi rationem acciperet orator: alias quas ex caussa traheret ipse, & quodammodo gigneret. Ideoq; illas Atéchnus idest in artificiales; has Entechnus idest artificiales vocarũt. Ex illo priore genere sunt præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iusiurãdum, testes: in quibus pars maxima contentionũ forensiũ consistit. Sed vt ipsa caret arte, ita summis eloquentiæ viribus, & alleuanda sunt plerunq; & refellenda. Et cap. vndecimo, idem Quintilianus scribit.*

ſcribit. Adhibetur extrinſecus in cauſſam & autoritas, Hæc ſecuti græcos, à quibus Chriſis dicuntur, iudicia aut indicationes vocant, non de quibus ex cauſſa dicta ſententia eſt, nam ea quidem in exemplorum locum cedunt, Sed ſi quid ita viſum gentibus, populis, ſapientibus viris, claris ciuibus, illuſtribus poetis, referri poteſt. De hac quoq; re multa Titelmanus lib. quinto Dialect. cap. trigeſimo tertio & quarto. Euerardus loco nonageſimo quinto. Gamarus lib. ſecundo. Bucoldianus lib. primo, cap. decimo quinto.

Vt ſi ita reſpondeas, Quoniam P. Scæuola id ſolum eſſe ambitus ædium dixerit, quod parietis communis tegẽdi cauſſa tectũ proijceretur: ex quo in tectum eius ædeis qui protexiſſet, aqua deflueret, id tibi ius videri. *Hotomanus lib. primo Obſeruat. cap. vigeſimo ſexto, hunc locum corruptum credit, atque, Quoad, pro, Quod, reponendum eſſe. Et poſteriorem vocem, tectum, tollendam. Præterea vocem illam, ſolum, aduerbium eſſe ait, pro ſolummodo, vel dumtaxat: non nomen pro area poſitum, vt Boetius & alij interpretes putauerunt.* 2

Id ſolum eſſe ambitus ædium. *Autore Feſto lib. primo. Ambitus proprie dicitur inter vicinorum ædificia locus duorum pedum & ſemipedis, ad circumeundi facultatem relictus. Idemq; probant Varro lib. quarto de lingua latina: Metianus libro de Aſſe: Iſidorus lib. decimo quinto, Etymolog. Ant. Auguſtinus lib. ſecundo Emẽdat. cap. ſeptimo. Briſſonius lib. primo Select. cap. ſecundo. Cuiacius lib.* 3

primo Obseruat. Hotomanus in fragmētis.12.tab.tertia parte, cap. vigeßimo tertio. Atq; id appellatur legitimū spaciū in.l. Imperatores.ff.de seru.vrb.præd. Cum igitur dupliciter ædes construerentur Romæ, aliæ iuxta leges. 12 tabul. ita vt inter ædes vicinas sestertius pes, ambitus caussa relinqueretur: quæ autore Festo dictæ sunt insulæ, quod non iungerentur communibus parietibus cū vicinis, sed circuitu publico aut priuato cingerentur: aliæ ita vt non essent insulæ, sed continentes domus: de vtrarunq; ambitū dubitatum est. Ac de continentibus quidem domibus quæ parietem communem habent, nec quicquā spacij interiectū est. P. Scæuola Iurisconsultus respondit, idduntaxat esse ambitus ædium quo ad vterque vicinus commuem parietem protexerit, vnde diuortium aquarum fiat, & in cuiusq; illorū ædes aqua pluuia defluat. Nimirū vt dimidia parietis pars ad vnum, altera ad alterum pertineat: & linea communem parietem æquabiliter secans, ambitum ædium vtrinque designet. Neq; enim vicino in communem parietem integrum tectum, aliudue quid quod ei incumbat, licet immittere. l. quidam.ff.de seru.vrb.præd. Insularum ambitum, quatenus stillicidij rigor, & tignorum protectus competat esse, Scæuola & Paulus Iurisconsulti tradiderunt, in.l. vigeßima, & quadrageßima prima.ff.de seru.præd.vrb.

§.XVIII. HIS igitur locis, qui sunt expositi, ad omne argumētum reperiendū tanquā elemētis quibusdā significatio & demōstratio datur. Vtrum igitur hactenus satis est? tibi quidē tam

acuto & tam occupato puto. Sed quoniã auidum hominẽ ad has discendi epulas recepi, sic accipiã, vt reliquiarum sit potius aliquid, quam te hinc patiar non satiatum discedere.

1 TAnquam elementis. *Quoniã loci superius designati, argumentorũ quasi quædã principia sunt, cum argumenta cõtineant: omne autem quod cõtinet, eius quod continetur principium sit. Sed recte adiecit tãquam elementis. Non enim integre elementa, sed tanquam elementa sunt loci: vt Boetius explicat.*

2 Significatio & demonstratio datur. *Verisimilia significari: necessaria demõstrari ait. Sũt qui hæc illuc referãt quod in principio dixit. Vt igitur earũ rerũ quæ abscondita sunt, demonstrato et notato loco facilis inuẽtio est: sic cũ peruestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus.*

3 Vtrum igitur hactenus satis est? *Transitio ad vim & vsum locorum vberius explicandum.*

QVando ergo vnusquisq; eorum locorũ, quos exposui, sua quædam membra habet, ea quã subtilissime persequamur, & primũ de ipsa definitione dicatur. Definitio est oratio, quæ id quod definitur, explicat quid sit. Definitionum autem duo sunt genera prima: vnum earum rerum, quæ sunt: alterum earum, quæ intelligũtur. Esse ea dico, quæ cerni §. XIX.

tangiue poſſunt, vt fundũ, ædes, parietẽ, ſtilli cidiũ, mãcipiũ, pecudẽ, ſupellectilẽ, penus, cætera, quo ex genere quædã interdũ nobis definienda ſunt. Nõ eſſe rurſus ea dico, quæ tãgi demõſtrariue nõ poſſunt, cerni tamẽ animo atque intelligi poſſunt: vt ſi vſucapionẽ, ſi tutelã, ſi gẽtem, ſi agnationẽ definias, quarũ rerũ nullum ſubeſt quaſi corpus, eſt tamen quædã conformatio inſignita & impreſſa in intelligẽtia, quam notionem voco: ea ſæpe in argumẽtando definitione explicãda ſunt. Atque etiã definitiones aliæ ſunt partitionũ, aliæ diuiſionum. Partitionum, cum res ea, quæ propoſita eſt, quaſi in membra diſcerpitur: vt ſi quis Ius ciuile dicat id eſſe, quod in legibus, Senatuſconſultis, rebus iudicatis, Iuriſperitorũ auctoritate, edictis magiſtratuum, more, æquitate conſiſtat. Diuiſionum autem definitio formas omnes complectitur, quæ ſub eo genere ſunt, quod definitur, hoc modo: Abalienatio eſt eius rei, quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſsio, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt. Sunt & alia genera definitionum, ſed ad huius libri inſtitutũ illa nihil pertinent: tantum eſt dicendum, qui ſit definitionis modus. Sic igitur veteres præcipiunt,
cum ſum

cum sumpseris ea, quæ sunt ei rei, quam de fi-
nire velis, cum alijs communia, vsque eo per-
sequi, dum proprium efficiatur, quod nullam
in aliam rem transferri possit. Vt hoc, Hære-
ditas est pecunia. Commune adhuc, multa e-
nim genera sunt pecuniæ. Adde quod sequi-
tur, quæ morte alicuius, ad quempiam perue-
nit: nondum est definitio: multis enim modis
sine hæreditate teneri mortuorũ pecuniæ pos
sunt. Vnum adde verbum, iure: iam à cõmuni
tate res disiuncta videbitur, vt sit explicata
definitio, sic: Hæreditas est pecunia, quæ mor
te alicuius ad quẽpiã peruenit iure. Nondum
est satis: adde, nec ea aut legata testamẽto, aut
possessione retẽta: confectũ est. Itẽq; vt illud.
Gentiles sunt, qui inter se eodẽ nomine sunt.
Nõ est satis. Qui ab ingenuis oriũdi sunt. Ne
id quidẽ satis est. Quorũ maiorũ nemo serui
tutẽ seruiuit. Abest etiã nunc. Qui capite non
sũt diminuti. Hoc fortasse satis est. Nihil enim
video Scæuolã pontificẽ ad hanc definitionẽ
addidisse. Atque hæc ratio valet in vtroque
genere definitionũ, siue id, quod est, siue id,
quod intelligitur, definiẽdũ est. Partitionũ au
tẽ & diuisionũ genus quale esset, ostẽdimus: sed
quid inter se differãt, planius dicẽdum est, in

partitione quasi membra sunt, vt corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, etcetera. In diuisione formæ sunt, quas græci Idéas vocant: nostri, si qui hæc forte tractant, species appellant: non pessime id quidem, sed inutiliter admutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si latine quidē dici possit, specierū & speciebus dicere, & sæpe his casibus vtendum est: at formis & formarū velim. Cū autē vtroque verbo idē significetur, cōmoditatē in dicēdo non arbitror negligeudā. Genus & formā definiūt hoc modo: Genus est notio ad plures differētias pertinens. Forma est notio, cuius differētia ad caput generis, quasi fontē referri potest. Notionem appello, quod græci tum Ennian, tū Prolepsin dicūt. Ea est insita & ante percepta cuiusquæ formæ cognitio enodationis indigēs. Formæ igitur sunt eæ, in quas genus sine vllius prætermissione diuiditur: vt si quis ius in legē, morē, æquitatē diuidat. Formas qui putat idem esse quod partes cōfundit artē: & similitudine quadā cōturbatus non satis acute, quæ sunt secernēda distinguit. Sæpe etiā definiūt & oratores & poetæ, per trāslationē verbi ex similitudine cū quadā suauitate. Sed ego à vestris exēplis nisi neçessario non

recedam.

recedam. Solebat igitur Aquillius collega & familiaris meus, cũ de litoribus ageretur, quæ omnia publica esse vultis, quærentibus ijs, ad quos id pertinebat, quid esset litus, ita definire, qua fluctus eluderet. Hoc est, quasi qui adolescẽtiam florẽ ætatis, senectutẽ occasum vitæ velit definire. Translatione vtens discedebat à verbis proprijs rerũ ac suis. Quod ad definitiones attinet, hactenus: reliqua videamus.

QVando ergo vnusquisque eorũ locorum quos exposui, sua quædã mẽbra habet. 1
In quantum res sunt, membra habent diuersa: quæ & ipsa efficiuntur loci, cum ab eis eliciuntur argumenta.

Ea quam subtilissime persequamur. *Vt multo sit copiosior locorum vsus, ex vnoquoque membro deducta argumentatione, quæ ex toto vnica erat.* 2

Et primum de ipsa definitione dicatur. *De qua satis multa Plato, in dialogo Ciuili vel regno. Et in Theæteto vel de sciẽtia. Aristoteles lib. primo Periarm. lib. primo & secundo Poster. lib. primo, secũdo, sexto & septimo Topic. lib. septimo & octauo Metaph. Gellius. lib. 4 cap. 1. Budæus in Annot. in fine. Alciatus lib. 1. Parerg. cap. 21.* 3

Definitio est oratio. *Nam vt minimum duabus vocibus, id est genere & differentia constare debet: quod & Cicero in Partitionib. docet.* 4

Quæ id quod definitur explicat. *Quod enim confuse* 5

fuse nomine iuris continetur, id aperit atq; euoluit definitio dicens, Ius est ars boni & æqui. Recte igitur, vt Boetius & Visorius notant, positum est verbum, explicat. Nam & genus quoque & nota designant id de quo quæritur, sed nō explicant Quid sit, quod facit definitio, non quoquo modo, idest non in eo quod quale, vel quantum est, sed eius quod definit substantiam monstrans. Vnde & Aristoteles recte, Definitio est Oratio quid est esse significans.

6 Definitionum autem duo sunt genera prima. Vnū earū rerum quæ sunt: alterum earū quæ intelliguntur. *Quia definitiones ad aliquid sunt, quandū proprietatē sumūt ex eis, ad quæ referūtur: ideoq; Cicero nō diuidit ipsas definitiones: sed definitiones partitur secūdū ea quæ definiūtur, scilicet corporalia, et incorporalia.*

7 Esse ea dico quæ cerni, tangiue possunt, vt fundum, ædes. *Lex ducentesima vndecima. ff. de verb sig. fundi appellatione, omne ædificiū, & omnis ager cōtinetur. Sed in vsu vrbana ædificia, ædes: rustica, villæ dicuntur.*

8 Parietem. *L. Paries. ff. de verb. signif.*

9 Stillicidium. *ff. de Seruitutib. vrb. præd.*

10 Mancipium. *Multa Budæus in. l. secūda. ff. de orig. iur.*

11 Pecudem. *Valla lib. 4. Eleg. cap. quadragesimo secundo.*

12 Supellectilē. *L. prima, & . l. Labeo. ff. de Supellect. legat.*

13 Penus. *Valla lib. quarto Eleg. cap. trigesimo sexto. Et lib. sexto. cap. quinquagesimo sexto. l. qui penum. ff. de penu leg. Gellius lib. quarto cap. primo. Alciatus lib. nono Parerg. cap. vigesimo. Forcatulus in Penu ciuili.*

Non esse rursus ea dico, quæ tangi demõstra 14
riue non possunt: cerni tamen animo atq; intelligi possunt. *Non quod hæc quoq; non sint, sed quia humanum ingenium, id maxime eße putat, quod oculis cernit. Aliàs si non eßent, nec definitione possent comprehendi: nam si, vt Boetius scribit, definitio est qua explicatur id quod definitur quid sit: eius rei quæ omnino nõ est, nec quid sit explicatio vlla eße poteſt.*

Vt si vsucapionem. *L. tertia. ff. de vsucap. Gellius lib.* 15
septimo cap. decimo.

Si tutelam. *L. prima. ff. de tutelis.* 16

Si gentem. *Alciatus lib. quarto. Dispunct. cap. primo.* 17

Si agnationẽ definias. *Alciatus lib. tertio Parerg.* 18
cap. vigeßimo quinto.

Est tamen quædam conformatio insignita, & 19
impressa intelligentia, quam notionem voco. *Ideſt imago, inquit Latomus, mente concepta, ac certa proprietate distincta à cæteris rebus quam græci tum Ennian tum Prólepsin vocant. Impressam autem dicit, quia notiones sunt insitæ animis nostris, hoc est innatæ, cum sint rerũ vniuersalium intelligentiæ, quas mens nostra per se gignit. Singularium enim rerũ cognitiones sensuum sunt propriæ, nec nisi à sensibus informatæ, ad animum transferuntur: vniuersalia intellectus facit.*

Atque etiam definitiones aliæ sunt partitio- 20
num, aliæ diuisionum. *Post diuisionem definitionum secundum*

secundum definitas res, diuidit definitiones secundum earũ formas. Quod, vt Boetius scribit, propria forma cuiusq; cõpositi, suis partibus constet.

21 Partitionum, cum res ea, quæ proposita est, quasi in membra discerpitur. *Neque tamen idem est locus à definitione, qui est à partium enumeratione. Nã, vt bene notat Boetius, ea proprie dicitur definitio quæ per substantiales partes datur, & ex genere & differentijs constituitur. Huius exemplum est, homo est animal rationale mortale. Aliæ abusiue definitiones sunt quando in vnum accidentia colliguntur, hoc modo. Animal est quod moueri propria voluntate potest. Quando membrorum enumeratione definimus, sic, domus est quæ fundamentis, parietibus, tectoque consistit. A diuisione quoque specierum ita sumitur definitio, Animal est substantia, quæ vel sensu tantum vel sensu & ratione nitatur.*

22 Vt si quis ius ciuile dicat id esse, quod in legibus, senatuscõsultis, rebus iudicatis, Iurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, æquiate consistat. *Papianus lege septima. ff. de iustitia & iure. Ius ciuile est quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, decretis principum, autoritate prudentium venit. Ius prætorium est quod prætores introduxerũt, adiuuãdi, vel supplẽdi, vel corrigẽdi iuris ciuilis gratia, propter vtilitatem publicam. Quod & honorarium dicitur, ad honorem prætorum sic nominatum. Et Marcianus lege octaua. Nam & ipsum ius honorarium, viua vox est iuris ciuilis.*

Et

Et Iustinianus in Institutionibus, de Iure naturali gentium & ciuili, Ius ciuile cõstare ait, aut scripto, aut sine scripto. Scriptum ius esse legem, plebiscitum, senatuscõsultum, principum placita, magistratuũ edicta, responsa prudẽtum. Legem esse quod populus Rom. senatorio magistratu interrogante, veluti consule, constituebat. Plebiscitum, quod plebs plebeio magistratu interrogante, veluti tribuno, constituebat. Senatusconsultum quod senatus iuberet, atq; constitueret. Quodcunq; etiam per epistolam cõstituisset Imperator, vel cognoscens decreuisset, vel præcepisset edicto legẽ esse & constitutionem appellari. Prætorum quoq; & Aediliũ Curulium edicta, non modicam iuris optinere autoritatem. Responsa prudentum esse sententias & opiniones corũ quibus permissum fuisset de iure respondere. Sine scripto autẽ ius venire quod vsus adprobasset: quod diuturni mores cõsensu vtentium comprobati, legem imitarentur.

Abalienatio est eius rei quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio, inter quos ea iure ciuili fieri possunt. *Vlpianus tit. decimo nono de Dominijs & acquisitionibus rerũ cum dixisset omnes res aut mancipi esse, aut nec mancipi, explicassetq; quæ res mancipi sint, quæ nec mancipi, addit singularum rerum dominia nobis adquiri, mancipatione, traditione, vsucapione, in iure cessione, adiudicatione, lege. Verum id nihil mouet. Nam, vt libro de Iuris ciuilis interpretibus Floridus notat, iure duodecim tab. de quo nunc Cicero agit, tantum alienationis species erant, quæ per nexum, & per cessionem* 23

cessionem fiebant. Per vsucapionem vero alijsq; modis proprietas non acquirebatur, licet iuris autoritate possessor defenderetur. Quomodo ille & illud accipit quod supra Cicero scribit, autoritas vsus fundi biennium est, sit ergo & ædium. Et lib. primo de Offic. aduersus hostem æterna autoritas. In lege quoque Attinia cuius A. Gellius lib. decimo septimo, cap. septimo meminit: quod surreptum erit, eius rei æterna autoritas esto: idest æternum tempus antequam vsu capiatur. Brissonius lib. primo Selectarum ex iure antiquitatum, cap. septimo. Traditionem & adiudicationem, ad mancipationem & in iure cessionem pertinuisse videtur sentire: vsucapionem & legem, si quid defuisset illis supleuisse. Duo, inquit, fuere proprij rerum abalienādarum iure Quiritum comparati modi, citra quos legitimum in accipiētem dominium transferri non poterat, mancipatio & cessio in iure. Neque enim vel à domino res tradita, si neq; mancipata, neq; in iure cessa esset, accipientis ante ex iure Quiritum fiebat, quam per tempus lege statutum, possessa, vsucaptaq; esset. Vsucapione plane accedente, quæ ipso quoq; Horatio teste quasdā res mancipat, quod traditioni deerat supplebatur: interim in bonis tantum habere qui rem ita acceperant, dicebantur. Ac pro Brissonio quidem Vlpiani sententia est, titulo de libertinis. In bonis tantum alicuius seruus est, ait, velut hoc modo. Si ciuis Rom. à ciue Rom. seruum emerit, isq; traditus ei sit, neque tamē mancipatus ei, neq; in iure cessus, neq; ab ipso anno possessus sit. Nam quādiu horum quid fiat, is seruus in bonis quidem emptoris est,

ex iure Quiritum autem venditoris est. Cuiacius adiudicationis exemplum ponit ex Iustiniano in extremo titulo de Officio iudicis. Neq; vllũ aliũ esse casum ait, in quo iudicis sententia, dominium adquiratur. Traditionem rerum nec mancipi esse; itaque legẽdum apud Vlpianum notat. Traditio propria, est alienatio rerum nec mancipi, Nec mancipi rerum dominia, ipsa traditione apprehendimus: scilicet si ex iusta caussa traditæ sunt nobis.

Eius rei quæ mancipi est. *Res mancipi dicebantur, vt in Partitionibus Hotomanus scribit, quia certo ritu sic vendebantur, vt & emptor manu eas caperet, vnde & ipse manceps & res mancipi appellabantur, & venditor earum euictionem præstaret, si quis forte alius sibi eas vendicare vellet. Ritus ipse mancipatio vocabatur. vnde Vlpianus tit. decimo nono. Mãcipatio, inquit, propria species alienationis est, & rerum mancipi: eaq; fit certis verbis, libripende & quinque testibus præsentibus. Hæc qua solẽnitate fierent, ex Caij institutionibus & Boetij commentarijs, Budæus in l. secunda. ff. de orig. iur. Sigonius lib. prim. de Iure ant. ciu. Rom. cap. vndecimo. Hotomanus, in Iuris ciuilis partitionib. tit. duodecimo. Et ad leges. 12. tab. cap. quadrages. Et Brissonius lib. primo Select. cap. septimo, notauerunt. Caij autem verba sunt hæc. Mancipatio est imaginaria quædam venditio, quod ipsum Ius Romanorum est ciuium, eaq; res ita agitur. Adhibitis non minus quinque testibus ciuibus Rom. puberibus, & præterea alio eiusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. Is qui man-* 24

cipium accipit, æs tenens ita dicit. Hunc ego hominē ex iure Quiritum meū esse aio: isque mihi emptus est hoc ære, æneaque libra. Deinde ære percutit libram: idq; æs dat ei à quo mancipium accipit, quasi precij loco. Non autem eas res solum quæ mancipi erant, mancipatione alienari, sed & liberorum emancipationes, adoptionesq;, per imaginariam mancipationis solennitatem expediri solitas, ex Caio lib. primo Institut. tit. sexto. Pōpeio lib. quinto. Et Gellio lib. quinto, cap. decimo nono, Cantiuncula & Brissonius probauerunt. Ac quidem Caij verba ita se habent. Emancipatio, hoc est manus traditio, quædam similitudo venditionis est: quia & in emancipationibus præter illum, hoc est certum patrem, alius pater adhibetur, qui fiduciarius nominatur. Ergo iste naturalis pater filium suum fiduciario patri mancipat, hoc est manu tradit: à quo fiduciario patre naturalis pater vnum aut duos nummos, quasi in similitudinem precij accipit, & iterum eum acceptis nummis fiduciario patri tradit. Hoc secundo & tertio fit, cum fiduciario patri emancipat ac tradit, & sic de patris potestate exit. Quæ tamen emancipatio solebat ante Præsidem fieri: modo ante curiam facienda est: vbi quinque testes ciues Rom. in præsenti erunt, & pro illo qui libripens appellatur idest stateram tenens, & qui antestatus appellatur, alij duo: vt septem testium numerus impleatur. Vnde autem libræ adhibendæ consuetudo introducta fuerit, Sigonius & Brissonius ex Plinij historia tradiderunt.

Aut traditio alteri nexu. *Nexus, qui, vt Budæus notat, & nexum genere neutro dicitur, quid sit, Varro docet lib. sexto de Ling. lat. Nexum, inquit, Manilius scribit omne quod per librã & æs geritur, in quo sint mãcipi: Mucius Scæuola, quæ per æs & librã fiãt, vt obliguẽtur, prater quã quæ mancipio dẽtur. Hoc verius esse ipsum verbũ ostẽdit de quo quæritur. Nã idẽ quod obligatur per librã, neq; suũ sit, inde nexũ dictũ. Liber qui suas operas in seruitute pro pecunia quã debeat, dũ solueret, nexus vocatur, vt ab ære obæratus. Festus quoque sic scribit, Nexum est, vt ait Gallus, quodcũq; per æs & librã geritur, idque nectì dicitur, quo in genere sunt hæc testamẽti factio, nexi datio, nexi liberatio, Nexũ æs dicebatur pecunia, quæ per nexũ obligatur. Hæc obscura quãtumuis & deprauata, Hotomanus, Brissoniusque explicãt & admittũt: Hotomanus ad leges. 12. tab. tertia parte, cap. quadragesimo sic interpretatur vt Scæuola, Nexus nomẽ nõ generaliter ad omnia quæ per æs & librã gerantur referat: sed proprie ac præcipue ad obligationes siue personarũ, siue rerum: quæ sunt oppignorationes. Brissonius lib. duodecimo de verborũ, quæ ad ius pertinẽt significatione. Nexũ, inquit, Manilius, quemadmodum Varro lib. 6. de Ling. Lat. scribit. Interpretabatur omne quod per æs & librã geritur, in quo essent mancipi. Quã interpretationẽ Aelius Gallus secutus est, autore Festo lib. duodecimo. At Mucius Scæuola, quæ per æs & librã fierẽt & obligarẽtur, præterquam quæ mancipio darẽtur, hoc nomine significari existimabat: quod verius esse, ex ipso*

verbo Varro ostendit. Hinc apud Iurisconsultos in Pandectis frequētius, Nexa res, Nexus pignoris, Nexum prædiorum facere, & Nexus vēditi pro vinculo obligationis, quæ ex venditione proficiscitur. Hinc & illud apud Ciceronem pro Murena, si in his rebus repetendis, quæ mancipi sunt, is periculū iudicij præstare debet, qui se nexu obligauit. Et de Aruspic. resp. multæ sunt domus iure mancipij & iure nexi. Et in Paradox. Non ita dicunt eos esse seruos, vt mancipia, quæ sunt dominorum facta nexu, aut aliquo Iure ciuili. Et lib. septimo Epist. ad Curium. Attici te propriū esse scribis mancipio & nexu: meum autem vsu & fructu. Multaq́; alia, quæ Budæus in Annot. Alciatus lib. primo Prætermiss. Rhodiginus lib. septimo Lect. antiq. cap. vigesimo & vigesimo primo. Hotomanus de Verbis iuris, & ad leges. 12. tab. Brissonius de verb. sig. Sigonius de Iure antiquo ciu. Rom. Ræuardus libro Singulari ad leges. 12. tab. Et in libris de Iuris ambiguitatib. retulerunt. Illud ijdem Hotomanus & Sigonius scribunt, moris fuisse vt autor, idest venditor promissor ue, dicis caussa necteretur: quem deinde re tradita, acceptoq́; precio is solueret, qui stipulatus fuisset. Idq́; Ciceronem lib. secundo de Legibus significasse dum ait, legatarium, qui non vult accipere quasi ex testamento, stipulari ab hærede, & per æs & libram ab eo accipere, atque ita legatarium hæredem soluere.

26 Aut in iure cessio. *Ea, vt lib. secundo Institut. Caius scribit, ita fieri solita erat. Apud magistratū populi Rom. vel apud Prætorem, vel apud Præsidem prouinciæ, is cui*

res in iure cedebatur, rem tenens ita vindicabat. Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio. Deinde postquam hic vindicauerat, Prætor interrogabat eum qui cedebat an cõtra vindicaret: quo negãte, aut tacente, tunc ei qui vindicauerat, addicebat rem. Vlpianus quoque tit. decimo nono. In iure, inquit, cessio, communis alienatio est, & mancipi rerum, & nec mancipi, quæ fit per tres personas, in iure cedentis, vindicantis, addicentis. In iure cedit dominus, vindicatis cui ceditur, addicit Prætor. Ad hæc Varro videndum ait, an cesserit in iure qui potuerit cedere, & vbi oportuerit: id est apud eum apud quem actio sit. Quæ vniuersa Boetius, Latomus, Budæus, Hotomanus, Sigonius probauerunt.

Inter quos ea Iure ciuili fieri possunt. *Idest, vt Boetius, Hotomanus & Sigonius interpretantur, inter ciues Romanos. Nam Iure ciuili fieri aliquid non inter alios quam ciues Romanos potest: quorum est etiam Ius ciuile, quod. 12. tab. continetur. Sed Planius Vlpianus, Mancipatio, ait, locum habet inter ciues Rom. Et Latinos Colonarios, Latinosq; Iunianos, eosq; peregrinos quibus cõmercium datum est. Cõmercium est emendi vndendiq; inuicẽ ius. Illud animaduertendum est, Imperatorem Iustinianum, lege vnica. C. de vsucap. transf. ad Ioannem. P P. D. X V. Cal. Nouemb. Constantinop. post Consulatum Lampadij & Orestis virorum. C C. differentiam rerum mancipi, & nec mancipi sustulisse.* 27

Sunt & alia genera definitionum. *De quibus* 28

Latius disputant Plato, Aristoteles, Gellius, Victorinus, Boetius.

29 Sed ad huius libri institutum illa nihil pertinent. *Quia, vt est apud Visorium, quamuis multæ sint & variæ definitionum differentiæ, non omnes ad totum adhibentur. Propria definitio, ad id totum de quo disseritur adhibetur, ac nunc de definitione & toto tractatio est. Ita Visorius. Sed profecto Cicero illa, non ad disputationem de definitione, sed ad huius libri institutum nihil pertinere dixit.*

30 Tantum est dicendum qui sit definitionis modus. *Debet enim definitio, vt Latomus ait, apta esse rei definitæ: nec plus, nec minus amplecti, quam natura eius continetur.*

31 Sic igitur veteres præcipiunt. Cum sumpseris ea, quæ sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, vsque eo persequi, dum proprium efficiatur, cum nullam in aliam rem transferri possit. *Sic Plato in Theæteto. Si differentiam cuiusq; accipias qua ab aliis est distinctum, definitionem vt quidam tradunt, acceperis: quandiu vero commune aliquid attigeris, illorũ definitionem quorum communitas est habebis. Aristoteles quoq; lib. secundo resolutionũ posteriorum. cap. decimo quarto. Nunc dicendum esse videtur, quo nam pacto venari nos oportet ea, quæ hoc ipso quid est prædicantur. Eorum itaq; quæ semper cuiq; competunt, quædam extendunt sese quidem ad plura, non tamen genus*

egre-

egrediuntur suum. Atque ea sese ad plura extendere dico, quæ quanquam vniuersaliter cuique competant, non tamen soli, sed etiam aliјs insunt. Talia igitur eo vsque sumenda sunt, quousque tot fuerint sumpta primo, vt vnumquodque quidem illorum pluribus competat, cuncta autem simul non ad plura sese extendant: hanc enim necesse est substantiam esse rei definiendæ. Et Diuus Augustinus tom. primo, libro de Decem Categorijs cap. sexto. Interea hoc loco debemus, inquit, aduertere, qua arte definitio disponatur. Primum enim hanc per immensum tendi oportet, incipientem à genere. De hinc paulatim per partes currendo peruenire debet ad id, in quo solum est id quod definitur. Vt hi qui signa formant, primum immensum subdeligunt lapidem, de hinc paulatim minuendo & abscindendo superflua, ad formandos vultus & membra perueniunt. Sic definitio à genere incipiens, depulsa paulatim generalitate verborum, ad proprium demonstrandæ rei cubile tendit accedere.

Vt hoc. Hæreditas est pecunia: commune adhuc, multa enim genera sunt pecuniæ. *In Pandectis, titulo de verborum & rerum significatione, hæc relata sunt. Paulus lib. vndecimo ad Edictum. Pecuniæ appellatione rem significari Proculus ait. Hermogenianus, lib. vndecimo Iur. epitom. Pecuniæ nomine, non solum numerata pecunia, sed omnes res tam soli, quam mobiles: & tam corpora quã iura continentur. Vlpianus lib. quadragesimo octauo ad Senatusc. Pecuniæ verbum non solum* 32

numeratam pecuniam complectitur, verum etiam omnem omnino pecuniam, hoc est omnia corpora. Nam corpora quoque pecuniæ appellatione contineri, nemo est qui ambigat.

33 Multis modis sine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ possunt. *Veluti, vt Boetius scribit; si bello quis victus est, ac spoliatus.*

34 Vnum adde verbum, iure. *Idest lege, vt omnes hæreditates, siue ex testamento, siue ab intestato, siue ad extraneos, siue ad cognatos obueniāt, cōprehendātur. Atque eæ quidē, vt Alciatus ad legē centesimā trigesimā. ff. de verb. sign. probat, legitimæ sunt hæreditates. Aliàs iusta hæreditas ea dicitur, quæ iure sanguinis gentilitatisq́; defertur: quod æquitate suggerente, & iure tam naturali quam ciuili ferè debita sit. Atque ita Budæus in Annot. & Alciatus loco citato, probauerunt.*

35 Iam à communitate res disiuncta videbitur. *Boetius notat, Hæreditatem, non adiectione solum rerum, sed quarundam etiam detractione, Ciceronē definisse. Quare cum duobus verbis, morte, atq; iure, ea pecunia efficiatur, quæ ita à cæteris separetur, vt tamē per legitimum adquirendi modum, non inter vtrosque viuos; sed inter mortuum & viuum fieret, ideo explicatam esse definitionem; & à communitate disiunctam ait. Sed quoniam erant ad quæ huius collectionis intellectus transferri posset, nec tamē essent hæreditates, veluti legatum, aut possessionis retentio hæc subtrahenda esse cernens, infert.*

36 Nondum est satis: adde, nec ea aut legata testamento

stamento, aut possessione retenta. *Possessione retinere dicimur rem, cuius habemus proprietatem, licet ad alium vsusfructus pertineat. Cum autem finitus fuerit totus vsusfructus, reuertitur ad proprietatem: & ex eo tempore nudæ proprietatis dominus incipit plenam in re habere potestatem: quæ res licet vsufructuarij morte contingat, nō hæreditas, sed consolidatio nominatur.*

Confectum est. *Igitur ex Ciceronis sententia, hæreditas est pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure: nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. Quibus verbis Ciceronem res potius quam ius ipsum hæreditarium esse cōplexum, Sigonius scribit, de antiq. iure. ciu. Rom. lib. primo, cap. vndecimo. Itaq; Iuliano Iurisconsulto magis assentitur, qui hæreditatem dicit successionem esse in vniuersum ius quod defunctus habuerit.* 37

Itemque vt illud. Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt. Non est satis. Qui ab ingenuis oriūdi sunt. Ne id quidē satis est. Quorum maiorum nemo seruitutem seruiuit. Abest etiam nunc. Qui capite non sunt diminuti. Hoc fortasse satis est. *Istam definitionem Budæus probat, in l. prima. ff. de iustit. & iure. Gentilitatisq; iura, multis verbis docet in l. secunda. ff. de orig. iur. & in l. Sæpe ita. ff. de verb. sign. vbi gentilitatem, nobiliorum fuisse, eorum scilicet qui imagines generis sui proferre possent, ex Tranquillo & alijs autoribus ostendit: apud quos imagines* 38

pro nobilitate ponuntur. Pro quibus nos insignia dicit habe re gentilicia: ideoque gentiles homines nobiliores vocari. Sigonius quoque lib. primo, de Antiq. iure ciu. Rom. cap. septimo, multa de iure gentilitatis doctè scribit.

39 Gentiles sunt qui interse sunt eodē nomine.

Id non ita accipiendum est vt, exēpli gratia, Petros omnes aut Ioānes gentiles esse putemus, nam necesse esse gentiles non appellatione solum sed sanguine etiā & propinquitate coniungi, præter id quod de furioso Varro. & Columella dicunt, ad agnatos & gentiles deducendum: quos idem plerunque esse, & morem antiquorum fuisse vt hæc duo in sermone coniungerent, probant Alciatus in. l. pronuntiatio. ff. de verbor. sign. & Budæus in. l. sæpe. Eod. tit. licet, vt rectè Sigonius probat, alias agnati arctiore nobiscum quam gentiles necessitudine iuncti sunt. Illud manifestius indicat, quod Romanorum nomina, qualia sunt, Iulius, Cornelius, Tullius, non vt Accursius cæterique legum interpretes, omnesq; penè grammatici & Rhetores putauerunt, simplicem hominum appellationem comprehendunt, sicut apud nos Petrus, Ioannes, Franciscus: sed familias potius illis priscis nominibus designari comprehendiq; Alciatus docet lib. quarto Dispunction. cap. primo. Et Ant. Augustinus lib. tertio Emendat. cap. octauo. Mihi & Accursij opinatio displicet: & Alciati sententia, licet verisimilior non satisfacit. Familiam namq; nomine denotari non puto: sed nomine gentem ostendi, cognomine familiam. Idq; eisdem capitibus, quæ ipse ex Tranquillo notauit, magis

magis probatur. Præterquam quod si nomine familia significaretur, non esset quod cognomen referret. Itaque qui inter se eodem sunt nomine gentiles dicuntur quod eadem gẽte sint, quæ sunt coniugata: non quod eadem familia, quæ à gente plurimum differt, & proprius nos attingit quã gens, vt bene probat Sigonius. Ad hæc quod idem Alciatus obijcit, si ipsum cognomen Familiam referat, quomodo Ciceronis, Scipionis, Neronis filiæ nuncupentur non esse, cum tales appellationes ad sexum fœmineum non pertineant, facile diluitur: nomine enim fœminæ appellabantur, non cognomine. Et Ciceronis filia Tullia: Scipionis filia Cornelia: Neronis filia Domitia, dicebatur. Ac quanquam nomine gens cognosceretur, cognomine familia: fœminis non à familia, sed à gente nomina imponebantur. Neque magis vrget, quod Diomedem grammaticum dicentem, idem Alciatus refert, Nomen proprium & gentilicum, quod originem generis vel familiæ declarat. Non enim significat his verbis Diomedes, generis familiæq; nomina confundi, sed vtriusque originem indicari per nomen proprium. Vt verbi caussa, Domitius nomen, & gentem Domitiam indicat, & originem etiam familiarum Aenobarborum & Caluinorum. Ex gente namq; Domitia, vt in Nerone Tranquillus ait, duæ familiæ claruerunt, Caluinorum & Aenobarborum.

Qui ab ingenuis oriundi sunt. *Hoc ideo à Cicerone Boetius adiectum putat, quod seruorum nulla gentilitas sit; idque verum est. Nec mouet quod Plinius, lib.* 40

lib. trigeſimo tertio, cap. primo ait, Aliter apud antiquos ſinguli Marcipores, Lucipores ue dominorum gentiles, omnem victum in promiſcuo habebant, nec vlla domi cuſtodia à domeſticis opus erat. Vbi manifeſte ſeruos, quibus dominorum nomina indita eſſent, gentiles dominorum appellat. Quod Alciatus in. l. Sæpe. ff. de verb. ſig. & libro primo Parerg. cap. duodecimo, ita explicat, vt hanc definitionem Ciceronis veram eſſe ante leges. 12. tabu. aſſerat, poſt, etiam eos qui à ſeruis oriundi eſſent, gentiles habitos. Quod non probo, magisq́; puto ſeruos à Plinio abuſiue dominorum gentiles appellatos, quod eodem eſſent nomine idq́; Budæus probat in dicta lege, ſæpe, inquiens. Alioqui gentiles non tam agnati ſunt, quam cognomines: vnde Cicero Tuſculana prima, Pherecides Syrus primum dixit, animos hominum eſſe ſempiternos: antiquus ſane, fuit enim meo regnante gentili. Indeq́; illud Plinianum, lib. trigeſimo tertio. Singuli Marcipores, et cætera. Verum illa gentilitas ab ea de qua nunc agimus, quamq́; hoc loco definit Cicero multum difert. In illa nihil præter nomen commune: quod ſeruis (quibus prænomen, nomen, cognomen, tribus, non erat: ſunt enim hæc, vt ait Quintilianus libro ſeptimo, cap. quarto, propria liberi, quæ nemo habet niſi liber.) cum à dominis manumittebantur communicabatur, vt eſt apud Politianum, Miſcell. cap. trigeſimo primo. Gentilitatis, de qua nobis nunc ſermo eſt, iura multum erant diuerſa: nec vnica erat eius nominis interpretatio. Vicinas nationes,

Corn.Tacitus lib.vndecimo gentiles vocat; Turbare, inquit, gentiles nationes promptum habebat. Romanos quoq; suo imperio non subiectos appellasse gentiles, quod non ciui li, sed gentium iure viuerent, Alciatus scribit, lib. primo Parerg. cap. decimo tertio. Hebræi etiam, nationes idolorũ cultrices, quod in gentilium, idest maiorum suorum errore perstarent, vocasse gentes, gentilesque, Iustinus martyr est autor in dialogo cum Tryphone pagina octaua. Et Apologia secunda pro Christianis, pagina trigesima sexta. Sed & seruos dicebant, quod dæmonibus seruirẽt. Idq; significasse Hieremiam dum in oratione ait, serui dominati sunt nostri scribit Diuus Hieronymus tomo quinto, in Lament. & diui na sapientia exprobrans Israeli, quod quæ in alijs damnaret, ipse committeret, Israelitas gentiles vocat. Quod idem Hieronymus notat, tomo quinto, lib. quarto in Esaiam.

Quorum maiorũ nemo seruitutem seruiuit. 41
Cum ex patris, vel ex matris qualitate non probetur filium esse talem l. Nec natales. l. ad probationem. C. de Probationib. gentilitas autem nobilissimorum sit, & ab antiquitate ingenuorum ducatur, merito quamuis dictum sit: qui ab ingenuis oriundi sunt: & illud adijcitur; quorum maiorum ne mo seruitutem seruiuit. Quod gentiles, non solum à seruis & libertinis, de quibus. §. 1. Instit. de iure pers. & §. 1. de libertin. distinguntur: sed & ab eis qui ingenuitatem intactam, illibatamq; non habent. Vt in. l. vlt. ff. de Senatorib. docet Budæus.

Qui capite non sunt diminuti. *Idq; non solum in* 42

maxima

maxima & media, quarum manifesta ratio est, sed & in minima verum est. Nam qui sese adoptandum dedit, etiam si eiusgentis ad quam migrauit, nomine nuncupetur, cum tamen illam sanguine non contingat, gentilitatis iura non habet: gentis vero à qua migrauit, gentilis non est, cum non sit eodem nomine. Vnde illud Ciceronis pro domo sua in Clodiū. Perturbatis sacris, contaminatis gentibus, & quas deseruisti, & quas polluisti, factus est filius.

43 Siue id quod est. *Esse ea dicit, quæ cerni tangiue possunt. Vt fundum, ædes, parietem, stillicidium, mancipiū, pecudem, supellectilem, penus, et cætera.*

44 Siue id quod intelligitur definiendum est. *Intelligi dicit, quæ tangi, demonstrariue non possunt, cerni tamen possunt. Qualia sunt vsucapio, tutela, gens, agnatio.*

45 Quid interse differant planius dicendum est. *Adde quod partes nō sumūt nomen totius: nec enim fundamēta dicūtur domus, nec parietes, nec tectum: sed omnia simul efficiunt domum. Formarum autem vnaquæq; nomen generis occupat. Nam & homo dicitur animal, & equus est animal. Itaq; totum partibus non est vnuersale, quamdoquidem eius nomē partibus singulis non conuenit. Genus formis vniuersale est, & singulis competit. Præterea genus semper est prius formis: quare specie perempta manet genus. At totum suis partibus posterius est, & sine fundamētis aut parietibus domus non est.*

Nostri

Nostri, si qui hæc forte tractãt, species appel- 46
lant. *Sic & lib. primo Academ. quæst. Idem Cicero scri-
bit. Hãc illi ideam appellabant, iam à Platone ita appellatã
nos rectè speciem possumus dicere. Et lib. primo Tusc. Quæ
stion. Cumq; nihil esset, vt omnibus locis à Platone disseri-
tur, nihil enim ille putat esse, quod oriatur, & intereat, idq;
solum esse quod semper tale sit, qualem ideam appellat ille,
nos speciem: non potuit animus hoc in corpore inclusus agno
scere: cognita attulit.*

Notionem appello quod græci, tum Inian, 47
tum Prólepsin dicũt. Ea est insita & ante per-
cepta cuiusque formæ cognitio, enodationis
indigens. *De eadem re, idem Cicero in Academ.
quæstionib. ita scribit. Inter scientiam & inscitiam, com-
prehensionem illam, quam dixi collocabat. Eamq; neq; in re
ctis, neq; in prauis numerabat, sed soli credendum esse dice
bat. E quo sensibus etiam fidem tribuebat, quod, vt supra
dixi, comprehensio facta sensibus, & vera esse & fidelis
videbatur: non quod omnia quæ essent in re comprehende-
ret, sed quia nihil quod cadere in eam posset, relinqueret.
Quodq; natura quasi normam scientiæ, & principium sui
dedisset, vnde postea notiones rerum in animis imprime-
rentur, è quibus non principia solum, sed latiores quædam
ad rationem inueniendam viæ reperiuntur. Et in Lucullo
ait. Cætera autem similitudinibus construit. Ex quibus
efficiuntur notitiæ rerum quas græci tum Inias tum, Pro-
lepsis vocant. Et lib. primo Tusc. quæst. Nec vero, inquit,
fieri*

fieri vllo modo posse, vt à pueris tot rerum atq; tantarum insitas, & quasi consignatas in animo notiones quas Inias vocant, haberemus, nisi animus antequam in corpus intrauisset, in rerũ cognitione viguisset. De qua re plura Diuus Augustinus lib. octauo, de Ciuitate Dei. ca. 7. Et ibi Ludouicus viues. Inter notionem vero & agnitionem, Diuus Hieronymus tom. nono. lib. primo in epistolam ad Ephesios. cap. primo, illud interesse scribit. Quod Notio eorum sit quæ ante nõ sciuimus, sed nunc edíscimus. Agnitio eorum quæ olim scientes, obliti tamẽ postea recordamur. Quã differẽtiam, alios autores sequutos probat Becichemus, collectaneorum in Plinium pag. vigesima tertia. Apud Iurisconsultos diuersa est huius nominis significatio. Vnde Vlpianus lege nonagesima nona ff. de verb. sign. Notionem accipere debemus & cognitionem & iurisdictionem.

48 Vt si quis ius in legem, morem, æquitatem diuidat. *Vsorius putat, propositum hoc exemplum, vitij ostendendi caussa, quod in diuisione committitur, quando vel non omnes species recensentur, vel partes pro formis accipiuntur. Nam & Senatusconsulta, principum placita, edicta prætorum, res iudicatæ, responsa prudentũ, partes sunt iuris ciuilis. Et lex quoq;, mos, æquitas, partes sunt eiusdem iuris, non formæ. Latomus contra, Ius hoc loco interpretatur, non Ius ciuile, sed Ius genus, cuius sit species ciuile Ius. Itaq; iuris formæ, lex, mos æquitas rectè enumerantur. Ius ciuile suas partes habet, de quibus nunc non disputamus.*

Formas

Formas qui putat idem esse quod partes confundit artem. *Certe Iurisconsultos non ita anxie partiũ & formarum seruare discrimen, Corasius notat de iuris arte, prima parte cap. vndecimo.* 49

Sæpe etiam definiunt & oratores & poetæ per translationem verbi ex similitudine, cum quadam suauitate. *Quintilianus lib. octauo cap. secũdo, de Perspicuitate. Translatio quoq; in qua vel maximus est ornatus, verba, non suis rebus accõmodat. Et cap. sexto plura. Et lib. primo cap. nono. Propria sunt verba, cum id significant, in quod primum denominata sunt. Translata cum alium natura intellectum, alium loco præbent.* 50

Solebat igitur Aquillius collega & familiaris meus, cum de litoribus ageretur, quæ omnia publica esse vultis. *L. secunda, ff. de diuisione rerũ & qualitate. Naturali iure, omnium cõmunia sunt illa, aer, aqua profluens, & mare, & per hoc litora maris. Et. l quinta. Riparum vsus publicus est iure gentium, sicut ipsius fluminis.* 51

Quærentibus ijs ad quos id pertinebat, quid esset litus, ita definire, qua fluctus eluderet. *Quintilianus lib. quinto, in fine. Nam & sæpe plurimum lucis affert ipsa translatio, cum etiam ipsi Iurisconsulti, quorum summus, circa verborum proprietatem labor est, litus esse audeant dicere, qua fluctus eludit. Donatus in Terentij Eunucho. Scena prima. Eludet vbi te victum senserit.* 52

Eludere ait proprium esse gladiatorum cum vicerint. Et Cicero in Catilinam, quādiu, inquit, nos furor iste tuus eludet. De litore Celsus. l. nonagesima sexta. ff. de verb. sig. litus est quousq; maximus fluctus à mari peruenit. Idq; M. Tullium aiunt, cum arbiter esset, primum constituisse. Et. l. Centesima duodecima, Iabolenus ex Cassio. Litus publicum est eatenus, quatenus maxime fluctus exæstuat, & effluit. Vbi de litore & ripa multa scribit Alciatus. Et lib. nono Parerg. cap. vigesimo primo. Floridus lib. primo Lectionū succisiuarum. cap. decimo. Et Forcatulus, dialogo octuagesimo sexto Necyomantiæ.

53 Hoc est quasi qui adolescentiam florem ætatis, senectutem occasum vitæ velit definire. *Virgilius in septimo. Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuētus, exercētur equis Catullus. Cui cū sit viridißimo nupta flore puella. Terentius in Eunucho. Annisedecim, flos ipse. Cicero Philip. secunda, ætatis flore, non virtutis specie collecta gratia. Lucretius lib. quarto. Frui flore ætatis. Ouidius libro sexto. Transform. longæ senectæ, extrema tempora.*

§. XX Partitione autem sic vtendum est, nullam vt partem relinquas: vt si partiri velis tutelas, inscienter facias, si vllam prætermittas: at si stipulationum aut iudiciorum formulas partiare, non est vitiosum in re infinita prætermittere aliquid. Quod idem in diuisione vitiosum est.

ſum eſt. Formarum enim certus eſt numerus, quæ cuique generi ſubijciantur. Partiũ diſtributio Sæpe eſt infinitior, tanquam, riuorum à fonte deductio. Itaque in oratorijs artibus quæſtionis genere propoſito, quot eiusformæ ſint, ſubiungitur abſolute: at cum de ornamẽtis verborum, ſentẽtiarumq́; præcipitur, quæ vocantur Schémata, non fit idẽ. Res enim eſt infinitior, vt ex hoc quoq́; intelligatur, quod velimus inter partitionem & diuiſionem intereſſe. Quanquam enim vocabula prope idẽ valere videantur: tamen quia res differebant, nomina rerum diſtare voluerunt.

Partione autem ſic vtendum eſt. *Vt ſi partes multæ non ſint, omnes enumerentur: ſi vero infinitæ, tum potiores enumeraſſe ſatis ſit.* 1

Vt ſi partiri velis tutelas. *Certe ſiue legitimus tutor ſit, ſiue teſtamentarius, ſiue alius quicunq́;, integrum tutelæ ius habet. Quod partibus non ſolet conuenire, vt totius integrum nomen vindicent. Quare illud Boetius recte probat quod Merobaudes dicebat, hæc verba; Partitione ſic vtendum eſt, nullam vt partẽ prætermittas; de diuiſione accipienda, ideſt de vna parte propoſitæ partitionis. Nam & diuiſio, & per membra diſtributio, partitio nũcupatur. Itaq́; exemplum de tutelis, ei partitioni accommodandum eſt, quæ eſt diuiſionis.* 2

3 At ſi ſtipulationum. *De quarum formis & diuiſione plura Inſtit. & .ff.de verb. oblig. & Inſtit. de Diuiſ. ſtipulat.*

4 Aut iudiciorum formulas partiare. *Olim certæ quædam actionũ iudicialum formulæ proponebantur à Prætore, cum iudicia dabantur litigatoribus: quæ tum quod captioſæ viderentur: cadebat enim à cauſſa quia Syllaba ceciſſet: tum quod infinitæ & variæ: nanq; pro cauſſarum diuerſitate, de indiuiduis & ſingularibus iudicijs, quæ infinita ſunt, concipiebantur: ſublatæ ſunt. Vnde lib. ſecundo. C. l. prima. tit. quinquageſimo octauo. De formulis & impetrationibus actionum ſublatis, Imp. Conſtantinus. A. Iuris formulæ, inquit, aucupatione ſyllabarum inſidiantes cunctorũ actibus, radicitus amputentur.*

5 Itaque in oratorijs artibus quæſtionis genere propoſito, quot eius formæ ſint ſubiungitur abſolutæ. *Tres autem tantum eſſe, omnes conueniunt: anſit, quid ſit, quale ſit.*

6 At cum de ornamentis verborum ſententiarumq; præcipitur, quæ vocantur Schemata, non fit idem: res enim eſt infinitior. *Schemata ſiue figuræ partim verborum ſunt; partim ſententiarum. Et vtriuſque generis multæ formæ. De quibus autor ad Herẽnium lib. quarto. Cicero lib. tertio de Oratore: & in oratore ad Brutum. Et Quintilianus lib. octauo & nono. Verum hoc loco Cicero, figuras tanquã partes poſuit eloquutionis. Itaq; eloquutionem velut totum, oportet imaginari: cuius, non*

formæ, sed partes schemata sint & figuræ, quæ quidem infinitæ sunt. Atq; ita Boetius & Visorius probauerunt.

Vt ex hoc quoq; intelligatur, quod velimus inter partitionem & diuisionem interesse. *Scilicet vt in partitione non semper sit vitiũ, aliquod membrũ prætermittere, cum ea aliquando sint infinita. At in diuisione omnino insciẽter faciat, qui aliquã formam pretereat, cum formarum certus sit numerus: quæ cuique generi subijciantur.* 7

MVlta etiam ex notatione sumuntur: ea est autem cum ex vi nominis argumentũ elicitur, quam Græci Etymologian, vocãt, id est verbum ex verbo, veriloquium. Nos autẽ nouitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia sunt verba rerum notæ. Itaq; hoc idem Aristoteles Symbolon appellat, quod latine est nota. Sed cũ intelligitur quid significetur, minus laborandum est, de nomine. Multa igitur in disputando notatione eliciũtur ex verbo, vt cum quæritur, postliminium quid sit, nõ dico quæ sint postliminij, nam id caderet in diuisionẽ, quæ talis est. Postliminio redeũt hæc, homo, nauis, mulus clitellarius, equus, equa quæ fræna recipere solet. Sed cũ ipsius postliminij vis quæritur, & verbum ipsum notatur, in quo Seruius §. XXI

noster,vt opinor,nihil putat esse notãdũ, nisi post,&liminiũ illud productionem esse verbi vult,vt in finitimo,legitimo,æditimo nõ plus in esse timũ,quã in meditullio tulliũ. Scæuola autem Publij filius iunctũ putat esseverbũ,vt sit in eo &,post,& limẽ:vt quæ à nobis aliena ta sunt,cũ ad hostẽ peruenerint,& ex suo tan quã limine exierint, dein cũ redierint post ad idem limẽ,postliminio videãtur redijsse.Quo in genere etiã Mancini caussa defendi potest postliminio redijsse,deditum non esse,quoniã nõ sit receptus:nã neque deditionẽ,neque do nationem sine acceptione intelligi posse.

1 POstliminio redeunt hæc,homo,nauis, mulus clitellarius,equus,equa quæ fræna recipere solet. *Lex quarta. ff. de Captiuis & postliminio & redẽptis ab hostibus. Ex Modestino. Eos qui ab hostibus capiũtur, vel hostibus dedũtur, iure postliminij reuerti, antiquitus placuit. Et lege secũda Marcellus. Nauibus longis atq; onerarijs propter belli vsum postliminiũ est: nõ piscatorijs, aut si quas actuarias voluptatis caussa parauerunt. Equus itẽ aut equa fræni patiẽs recipitur postliminio: nã sine culpa equitis prorripere se potuerunt. Nõ idẽ in armis iuris est, quippe nec sine flagitio ammittũtur. Arma enim postliminio reuerti negatur, quod turpiter ammittãtur. Quod Alciatus notat lib. 5. Parerg. cap. 18. Itẽ vestis, vt Põponius*

est autor

est autor lege tertia, postliminio nõ recipitur. Ideq; de vxore, lege octaua, Paulus scribit. Non vt à patre filius, ita vxor à marito iure postliminij recuperari potest: sed tunc cũ & voluerit mulier, & adhuc alij post cõstitutũ tempus nupta nõ est: quod si noluerit, nulla caussa probabili interueniente, pœnis discidij tenebitur: quanquã id durũ videatur Forcatulo Dialogo septuagesimo octauo Necyomanciæ, numero quinto. Et in Sphera legali pag. septima. Possessionem quoque postliminio nõ recuperari, ex Tryphonino lege duodecima, §. secũdo, idem Forcatulus notat, in dicto Dialogo, numero primo. Et Alciatus de quinque pedum præscriptione, numero nonagesimo Sexto. Et de iusto & iniusto postliminio Gellius lib. 7. cap. decimo octauo. Et de postliminij origine & iuribus, Cicero pro Balbo. Et Alex. ab Alexan. lib. 4. cap. 10. Et Forcatulus Dialogo septuagesimo sexto.

Aeditimo. *Festus lib 1. Aedituus, sacræ ædis tutor, id est curã agens. Aeditimus, ædis intimus. Varro lib. 1. de Re rustica cap. 2. Semẽtinis ferijs in ædem telluris veneram rogatus ab Aeditimo, vt dicere didicimus à patribus nostris; vt corrigimur à recentibus vrbanis, ab æditu o. Gellius lib. duodecimo. cap. decimo. Aeditimus verbum latinum est, & vetus: ea forma dictum qua finitimus & legitimus. Sed pro eo à plerisque nunc æditũus dicitur, noua & commentitia vsurpatione, quasi à tuendis ædibus appellatus.* 2

Meditullio. *Festus lib. vndecimo. Meditullium dicitur, non medium terræ, sed procul à mari, quasi meditellium, ab eo quod est tellus.* 3

4 Scæuola autem P.f. iunctum putat esse verbū, vt sit in eo, & post, & limē: vt quæ à nobis alie nata sunt, cum ad hostem peruenerint, & ex suo tanquam limine exierint, dein cum redierint post ad idem limē, postliminio videantur rediisse. *Ac quidem Scæuolæ sententia ab Iustiniano Imperatore comprobata est, lib. primo Institut. tit. duodecimo. Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur. Dictū est, inquit, postliminium à limine & post. Vnde eum qui ab hostibus captus est, & in fines nostros postea peruenit, postliminio reuersum, recte dicimus. Nam limina sicut in domo finem quendam faciunt: sic & imperij finem esse limen, veteres voluerunt. Hinc & limen dictum est, quasi finis quidam & terminus, ab eo postliminiū dictū est, quia ad idem limen reuertebatur, quod amiserat.*

5 Quo in genere etiam Mancini caussa defendi potest postliminio rediisse, deditum non esse quoniam non sit receptus. *Hostilium Mancinū Numantinis traditū quod eorum legatos violasset, Accursius in l. fin. ff. de legationibus, & Forcatulus dialogo primo, numero tertio, scribunt. Sed rem aliter se habere, optimorū autorum constat testimonijs. Eutropius lib. quarto, ait. C. Hostilius Mancinus Cos. Iterum, cum Numantinis pacē fecit infamem, quam populus & Senatus iussit infringi, atq; ipsum Mancinum hostibus tradi, vt in illo, quasi autore fœderis, vindicarent. Florus epitome. LV: Mancino auspicia tristia fuisse probatum est, victus enim à Numantinis, &*

castris

castris exutus, cum spes nulla seruandi exercitus esset, pacem cum ijs fecit ignominiosam: quam ratam esse Senatus vetuit. Triginta millia Romanorum, à Numantinorum mil libus quatuor victa erant. Cicero lib. tertio de offic. prope finem. Eodem tempore. T. Minutius, Q. Aemilius, qui tum tribb. pl. erant, quod eorum autoritate pax erat facta dediti sunt, vt pax Samnitiū repudiaretur. Atq; huius deditionis ipse Posthumius, qui dedebatur, suasor & autor fuit. Quod idem multis annis post. C. Mancinus, qui vt Numantinis, quibus cum sine Senatus autoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam quam L. Furius & Sex. Attilius ex Sc. ferebant: qua accepta, est hostibus deditus. Verū quia Mācinus, cum à Numantinis non acciperetur, domum reuersus est: an postliminio rediisse videri posset, acriter controuersum est. Modestinus lege quarta, de Captiuis, scribit. An qui hostibus deditus reuersus, nec à nobis receptus ciuis Romanus sit, inter Brutum & Scæuolam varie tractatum est. Et consequens est vt ciuitatem non adipiscatur. Et Pomponius lege decima septima. ff. de legationib. quem hostes non recepissent, quæsitum est, an ciuis Romanus maneret; quibusdam existimantibus manere, alijs contra, quia quem semel populus iussisset dedi, ex ciuitate expulsisse videretur: sicut faceret cum aqua & igni interdiceret. In qua sententia videtur P. Mucius fuisse. Id autem maxime quæsitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditū non acceperunt. De quo tamē lex postea lata est, vt esset ciuis Romanus, & Praturā quoque gesisse dicitur. Et Cicero

lib. primo de Oratore. Et enim, inquit, si. C. Mãcinũ nobilissimum atq; optimum virum, ac Consularem, cum propter inuidiam Numantini fœderis, pater patratus ex. SC. Numantinis dedidisset, eumq; illi non recepissent, posteaquam Mãcinus domum reuenisset, neque in Senatum introire dubitasset. P. Rutilius, M. filius Tr. pl. de Senatu iussit educi; quod eum ciuẽ negaret esse, quia memoria sic esset proditũ, quẽ pater suus, aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium. Ad huc tamen Mãcini caussam defendi posse Cicero scribit, quod deditus non videatur, qui receptus non sit: tũ etiã quod neq; deditionẽ, neq; donationẽ sine acceptione intelligere possimus: quod et Paulus probat lege decima. ff. de Donationib. Idq;, vt ego existimo, benigna iuris interpretatione, atq; in caussa nobilissimi atq; optimi viri & Consularis: quem verisimile nõ sit Rẽpub. voluisse expellere. Nã quod pro certo Alexander ab Alex. sumit, lib. 4. Genil. dier. cap. decimo, Deditis, si ab hostibus suscipiãtur, Ius postliminij non esse: si vero recepti non sint, consentire omnes, cum eis postliminium esse: mihi dubium est & incertum.

§. XXII. SEquitur is locus, qui cõstat ex ijs rebus, quæ quodãmodo affectæ sunt ad id, de quo ambigitur, quẽ modo dixi in plures partes distributum. Cuius primus est locus ex coniugatione, quam Græci Syzygian vocãt, finitimus notationi, de qua modo dictum est: vt si aquam pluuiã eam modo intelligeremus, quã imbri collectam

collectã videremus, veniret Mutius, qui, quia coniugata verba essent pluuia & pluendo, diceret omnẽ aquã oportere arceri, quæ pluendo criuisset.

FInitimus notationi. *Et tamen eo distans, quod notatio sit, nominis interpretatione vt, possessio dicta est quasi pedum positio. Coniugatio, deriuatione vocum cõstat, pluuia, pluere, pluendo.* 1

Vt si aquam pluuiam eam modo intelligeremus, quam imbri collectam videremus. *Vlpianus. l. prima. §. primo. ff. de aqua & aq. plu. arc. Aquam pluuiam dicimus quæ de cœlo cadit, atq; imbre excrescit: siue per se hæc aqua cœlestis noceat, vt Tubero ait, siue cum alia mixta sit.* 2

Veniret Mutius, qui, quia coniugata verba essent pluuia & pluendo, diceret omnem aquam oportere arceri, quæ pluendo creuisset. *Modo ea manu noceat, non naturaliter. Vlpianus. l. prima. §. duodecimo. ff. eodem tit. In Summa, inquit, puto ita demum aquæ pluuiæ arcendæ locum actionem habere, si aqua pluuia, vel quæ pluuia crescit, noceat non naturaliter, sed opere facto: nisi si agri colendi caussa id factum sit. Imbre autem crescere eam aquam, quæ colorem mutat, vel increscit. Aliás sequeretur & fluuium arcendum qui pluendo creuisset; quod vel ipsum Trebatium negasse, Paulus scribit, l. vndecima. §. quinto. ff. eodem tit.* 3

Trebatius

Trebatius existimat, inquit, si de eo opere agatur, quod manu factũ sit: omnimodo restituendũ id esse ab eo, cũ quo agitur. Si vero vi fluminis ager deletus sit, aut glarea iniecta, aut fossa limo repleta: tunc patientiã dũtaxat præstãdam.

§. XXIII 1 CVM autẽ à genere ducetur argumẽtum, nõ erit necesse id vsque à capite arcessere. Sæpe etiam citra licet, dummodo supra sit quod sumitur, quàm id ad quod sumitur: vt aqua pluuia vltimo genere ea est, quæ de cœlo 2 veniens crescit imbri: sed propriore loco, in quo quasi ius arcẽdi cõtinetur, genus est, aqua pluuia nocẽs: eius generis formæ, loci vitio & manu nocẽs: quarũ altera iubetur ab arbitrio coerceri, altera nõ iubetur. Cõmode etiã tractatur hæc argumẽtatio, quæ ex genere sumitur cũ ex toto persequare partes, hoc modo: si dolus malus est, cũ aliud agitur, aliud simulatur, enumerare licet, quibus id modis fiat: deinde in eorũ aliquẽ id, quod arguas dolo malo factũ, includere: quod genus argumenti in primis firmum videri solet.

1 CVM autem à genere ducetur argumentum, non erit necesse id vsque à capite arcessere: sæpe etiam citra licet. *Ex ijs verbis Boetius & Visorius & Barba notant, non vnicum esse genus, sed quoddam supremum, siue vt quidam aiunt*

aiunt generaliſsimum, quod ſemper genus ſit, nunquam ſpecies: cũ nullum maius eo ſit, nullique ſubijciatur, ſed omnia illi in ſuo ordine ſuppoſita ſint: vt eſt ſubſtantia. Alterum intermedium, quod ad ſupremum illud relatum, ſpecies eſt: ſed ſi ad indiuidua vel inferiora quæque conferatur, genus eſt. Petrus eſt indiuiduum: huius ſpecies homo: huius genus animal: huius ſuperius genus corpus animatum: ſubſtantia denique vltimi loco generis occurrit. Animal, ſubſtantiæ ſpecies; homini genus eſt. Itaq; ſi cuiuſlibet ſpeciei genus aſsignandum eſt, non neceſſe erit, maxima & prima genera ſemper exquirere, ſed eorum quæ in medio ſunt aliquod, ſat erit adhibere. Vt ſi homini genus propriũ præponẽdum eſt, non eſt neceſſe præponere ſubſtantiam, ſed vel corpus animatum, vel certe animal.

Dummodo ſupra ſit quod ſumitur, quã id ad quod ſumitur. 2 *Id eſt, vt Boetius explicat, illa ratione ſeruata, vt ſemper genus ſuperior ſit eo, ad quod prædicatur vt genus. Extrema quippe inſcitia eſt, ſi dum genus ſem per natura ſpeciebus proprijs ſuperponatur: loco generis id quod eſt inferius collocetur. Eſt ſupremum genus aqua pluuia quæ de cœlo veniens creſcit imbri: huius ſpecies ſunt aqua pluuia nocens: aqua pluuia non nocens. Sed ea quæ nocet genus ſit rurſus, eiuſq; ſpecies ſunt, manu nocens, & loci vitio nocens. Si quis igitur arcendam contendat aquam: non oportebit arceſsere primum genus, aquam pluuiam: ſed de ea quæ noceat tantum diſputabit.*

Aqua pluuia vltimo genere ea eſt, quæ de 3 cælo

cœlo veniens creſcit imbri. *Idq́; l.prima.§. primo ff. de aqua & aq.pl.ar.comprobatum eſt. De imbre autem Non. Marcell.de proprietate ſermonum cap.de improprijs, ſcribit. Imbres conſuetudo agmen cœleſtium aquarum & pluuiarum induxit ſolum dici; cum autoritas variet.*

4 Sed pro priore loco in quo quaſi ius arcendi continetur, genus eſt, aqua pluuia nocẽs: eius generis formæ, loci vitio, & manu nocens. *L.prima.§.nono. ff. eod.tit. idem aiunt ſi aqua naturaliter decurrat, aquæ pluuiæ arcendæ actionem ceſſare: quod ſi opere facto, aqua aut in ſuperiorem partem repellitur, aut in inferiorem deriuatur, aquæ pluuiæ arcendæ actionem competere. Et §. 11. huic illud etiam applicandum, nunquã cõpetere hanc actionem, cum ipſius loci natura nocet. Nam vt verius quis dixerit, non aqua, ſed loci natura nocet. Et §.12. in ſumma puto ita demum aquæ pluuiæ arcendæ locum actionem habere, ſi aqua pluuia, vel quæ pluuia creſcit, noceat non naturaliter, ſed opere facto.*

5 Quarum altera iubetur ab arbitro coerceri, altera non iubetur. *L.prima.§.Denique.ff.eo.tit. Hotomanus ad leges.12.tab.tertia parte, cap. vigeſſimoſecũdo.*

6 Cum ex toto perſequare partes. *Nec ob id tamen ab enumeratione partium dicetur argumentum, vt bonis rationibus Boetius & Viſorius probant.*

7 Si dolus malus eſt cum aliud agitur, aliud ſimulatur. *Hanc doli mali definitionem libro ſingulari defendimus, quem iamdudum prælo commiſimus.*

Similitu

SImilitudo ſequitur, quæ late patet: ſed oratoribus & philoſophis magis, quam vobis. §.XXIV
Et ſi enim omnes loci ſunt omniũ diſputationũ ad argumẽta ſuppeditãda, tamẽ alijs diſputationibus abundãtius occurrunt, alijs anguſtius. Itaque genera tibi nota ſint: vbi autẽ his vtare, quæſtiones ipſe te admonebũt. Sunt enim ſimilitudines, quæ ex pluribus collationibus perueniũt quo volũt, hoc modo: ſi tutor ſidẽ præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaueris ſi qui fiduciam acceperit, debet etiã procurator. Hæc ex pluribus perueniens, quo vult, appellatur inductio, quæ Græce Paragogè nominatur, qua plurimũ eſt vſus in ſermonibus Socrates. Alterum ſimilitudinis genus collatione ſumitur, cũ vna res vni, par pari comparatur, hoc modo: Quemadmodum ſi in vrbe de finibus controuerſia eſt, quia fines magis agrorum videntur eſſe quàm vrbis, finibus regẽdis adigere arbitrũ non poſsis: ſic ſi aqua pluuia in vrbe nocet, quoniam res tota magis agrorum eſt, aquæ pluuiæ arcendæ adigere nõ poſsis arbitrũ. Ex eodẽ ſimilitudinis loco etiam exempla ſumuntur, vt Craſſus in Curiana cauſſa exẽplis plurimis vſus eſt, agẽs de eo, qui teſtamẽto ſic hæredẽ inſtituiſſet, vt, ſi filius natus

natus esset in decem mensibus, isque mortuus prius quam in suam tutelam venisset, secũdus hæres hæreditatem obtineret: quæ cõmemoratio exemplorum valuit, eaq; vos in respondendo vti multum soletis. Ficta etiam exempla similitudinis habent vim: sed ea oratoria magis sunt, quam vestra: quanquam vti etiam vos soletis, sed hoc modo. Finge mancipio aliquem dedisse id, quod mancipio dari non potest, num iccirco id eius factum est, qui accepit? aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem se vlla re obligauit? in hoc genere oratoribus et philosophis concessum est, vt muta etiã loquantur, vt mortui ab inferis excitẽtur, aut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendæ rei gratia dicatur, aut minuendæ, quæ hyperbole dicitur, & multa mirabilia alia. Sed latior est campus illorum, eisdem tamen ex locis, vt ante dixi, & in maximis, & in minimis quæstionibus argumenta ducuntur.

1 SI tutor fidẽ præstare debet. *Corasius de Iure ciuili in artẽ redigendo. Secunda parte, cap. sexto, ex Cicerone lib. 3. de Officijs. Et in orationibus pro Roscio Comædo, & pro Cecinna. Quartum, inquit, pietatis membrum est in pupillos: quorũ tutela nobis credita est, & quam qui fraudasset,*

dasset, iudiciũ existimationis, et pœnæ capitis, olim subibat.
Si qui fiduciam acceperit. *Cicero pro Roscio Comæ* 2
do. Si qua enim sunt priuata iudicia summæ existimationis & penè dicam capitis: tria hæc sunt, fiducia, tutelæ, societatis: æque enim perfidiosum & nefarium est, fidem frangere quæ continet vitam: & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit: & socium fallere, qui se in negotio coniunxit. Et pro l. Flacco. Pecuniam adolescentulo grandi fœnore, fiducia tamen accepta occupauisti. Hanc fiduciam commißam tibi tenes hodie, ac poßides. Et lib. septimo epistolarum ad diuersos ep. duodecima. Vbi porro illa erit formula fiduciæ vt inter bonos bene agier oportet? Et lib. tertio de Nat. Deo. Inde tot iudicia de fide mala, tutelæ, mandati, pro socio, fiduciæ, reliqua. Et lib. tertio de Offic. Q. quidem Scæuola. Pont. Max. Summam vim esse dicebat in omnibus ijs arbitris in quibus adderetur. Ex fide bona. Fideiq; bonæ nomẽ existimabat manare latißime, idq; versari in tutelis, societatibus, fiducijs, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis. Brissonius de verb. sig. lib. sexto, scribit, apud Paulum lib. primo Receptarũ sentẽtiarum, tit. nono. Et lib. secundo, tit. decimo tertio. Et lib. tertio tit. octauo. Fiduciã pro pignore accipi. Sed certe, vt bene Cuiacius ad Paulum notat. Fiducia est pignus quod creditori mancipatur, aut in Iure ceditur, ea lege, vt soluta ad diem pecunia remãcipetur; non soluta, creditori pleno iure committatur, idest lege commissoria. Et hanc differentiam pignoris & fiduciæ, Isidorũ lib. quinto Etymolog. rectè tradidisse Cuiacius ait,

atq; ita interpretādum illud Ciceronis in Oratione pro Flacco. Quid autē sit fiduciarius pater, tutor, hæres, seruus, emptor, item fiduciam contrahere vel interponere, Brissonius & Hotomanus abunde tradiderunt.

3 Hæc ex pluribus perueniens quo vult, appellatur inductio, quæ Græce Epagogē nominatur: qua plurimum est vsus in sermonibus Socrates. *Cicero lib. primo de Inuent. Inductio est Oratio, quæ rebus non dubijs captat assensionem eius, qui cum instituta est: quibus assensionibus facit, vt illi dubia quædā res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur. Et post pauca. Ita fit hoc genus argumentandi tripartitum. Prima pars constat ex similitudine vna, pluribus ve. Altera ex eo quod concedi volumus, cuius caussa similitudines adhibitæ sunt. Tertia ex conclusione, quæ, aut confirmat concessionem, aut quod ex ea conficitur ostendit. Quintilianus lib. quinto. cap. vndecimo. Nam idem omnem argumētationem diuidit in duas partes, Inductionem, et Ratiocinationem, vt pleriq; Græcorum in Paradigmata, & Epichiremata, dixeruntq; Paradigma Rhetorichin Epagogén. Nam illa qua plurimum est Socrates vsus, hāc habuit viā, cū plura interrogasset, quæ fateri aduersario necesse esset, nouissime, id de quo quærebatur, inferret, cui simile concessisset. Id est inductio. Aristoteles lib. primo Topic. cap. decimo. Inductio est à singularibus ad vniuersalia accessio, vt si est gubernator sciens optimus: & auriga, & omnis circa vnumquodque sciens, optimus est. Est autem Inductio credi*

bilior

bilior & manifestior, & secundum sensum notior, & multis communis: syllogismus vero violentior, & ad contradicentes efficacior. Et lib. octauo Topic. cap. secundo. Et lib. secundo Resolutoriorũ priorum. cap. vigesimo tertio. Et lib. primo Rhet. cap. secundo, satis multa de Inductione: qua plurimum Socratem vsum: idẽ Aristoteles ait, lib. decimo tertio. Metaphisic. cap. quarto. Duo namq; sunt, inquit, quæ Socrati iure proprio attribuat quispiam, inductiuas orationes, & definitionem vniuersalis.

Alterum similitudinis genus collatione sumitur, cum vna res vni, par pari comparatur. *Sic lib. primo de inuent. Comparabile est quod in rebus diuersis similem aliquam rationem continet. Eius partes sunt tres, Imago, Collatio, Exẽplum. Imago est Oratio demonstrãs corporum, aut naturarum similitudinẽ. Collatio est Oratio rem cum re ex similitudine conferens. Exemplum est quod rem autoritate, aut casu alicuius hominis, aut negocij confirmat, aut infirmat.* 4

Quemadmodum si in vrbe de finibus controuersia ast. *Simile est in vtroque iudicio, arbitrum adigere, cum vtrumq; sit agrorum. Alias maius esse iudicium finium regundorum, quàm aquæ pluuiæ arcendæ, supra probatum est, in loco à comparatione.* 5

Adigere arbitrum. *Siue arbitrium, veteres dixisse pro agere ad arbitrum, idest cogere arbitrum sumere: ex* 6

Cicerone de Offic.& pro Roscio Comœdo, probatur. Vnde Vlpianus. l. octaua. ff. de in ius voc. Adigere ad iusiurandũ dixit, pro conceptis verbis & à se dictatis cogere alium iurare: quibus qui adstrictus est, iureiurãdo adactus dicitur. De modo autẽ agrorum, arbitros dari solitos, autor est Modestinus. l. septima. ff. finium regund.

7 Ex eodem similitudinis loco etiam exempla sumuntur. *Exemplum est, vt Aristoteles lib. secundo. cap. vigesimo quarto, Resolut. prior scribit, quando medio extremum inesse ostenditur per id, quod est simile tertio. Et differt ab inductione, quoniam hæc quidem ex omnibus indiuiduis, ostendebat inesse extremum medio, & ad extremũ non copulat syllogismum: hoc autem & copulat, & non ex omnibus ostendit. Vnde autem sumenda exempla, & quomodo illis vtendum sit, idem Aristoteles docet lib. secũdo Rhetoric. Ad Theodectem. cap. vigesimo. Et in Rhetoric. Ad Alexandrum. Et autor Rhetoricæ ad Herennium lib. quarto. Exemplorum porró ingentem vim esse ad docẽdum, Plato in Dialogo de Regno scribit, & Philo de Confusione linguarũ. Et Quintilianus lib. quinto, cap. vndecimo, ait, Potentissimum autem est inter ea, quæ sunt huius generis, quod propriæ vocamus exemplum, idest rei gestæ, aut vt gestæ vtilis ad persuadendum id quod intenderis commemoratio.*

8 Crassus in Curiana caussa exemplis plurimis vsus est. *De Curiana caussa multa in Oratione pro Cecinna Cicero. Et in Bruto, In interpretando, inquit, in definiendo, in explicanda æquitate, nihil erat Crasso copiosius, idq; cum sæpe*

cum sæpe aliás, tum apud C.V. in M.Curij caussa cognitum est. Ita enim multa tum contra scriptum, pro æquo & bono dixit, vt hominem acutißimum Q.Scæuolam, & in Iure in quo illa caussa vertebatur, paratißimum, obrueret argumentorum, exemplorumq́; copia. Et lib. primo de Oratore, ait, Quid vero clarißima. M. Curij caussa, & M. Coponij nuper apud Centúmuiros, quo concursu hominum, qua expectatione defensa est? Cum. Q. Scæuola æqualis, & collega meus homo omnium & disciplina Iuris ciuilis eruditißimus & ingenio prudentiaq́; acutißimus, & oratione maxime limatus atq́; subtilis, atq́; vt ego soleo dicere Iurisperitorũ eloquentißimus, eloquentium Iurisperitißimus, ex scripto testamentorum iura defenderet, negaretq́; nisi posthumus & natus, & antequam in suam tutelam veniret, mortuus esset, hæredem eum esse non posse, qui eßet secundum posthumum, & natum & mortuum, hæres institutus. Ego autem defenderem hac eum mente fuisse, qui testamentum fecisset, vt si filius non esset qui in suam tutelam veniret, M. Curius esset hæres. Num destitit vterq́; nostrũ in ea caußa in autoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis, hoc est in medio Iure ciuili versari?

9 Prius quam in suam tutelam venisset. *Idest antequam pubes factus esset. §. primo Instit. de pupillari substitut.*

10 Ficta etiam exempla similitudinis habẽt vim. *Aristoteles ad Theodectem lib. secũdo, cap. vigeßimo. Exẽplorũ species duæ sũt. Altera si res præteritas dicis, altera*

si ipse fingis. Et huius aliud similitudo, aliud apologi, sicut Aesopi, & Libyci.

11 Finge mancipio aliquem dedisse. *De rebus mancipi, & nec mancipi, supra egimus.*

12 In hoc genere Oratoribus & Philosophis cõcessum est, vt muta etiam loquãtur, vt mortui ab inferis excitẽtur, aut aliquid quod fieri nullo modo possit, augẽdæ rei gratia dicatur, aut minuendæ, quæ hyperbole dicitur. *De his figuris multa Quintilianus lib. tertio, cap. decimo. Et lib. quinto cap. vndecimo. Et lib. octauo cap sexto. Et lib. nono cap. secundo. Et autor Rhet. ad Heren. lib. quarto. Vlpianus Rhetor in enarrationibus ad Olynthiacam primam. Agricola lib. 1. cap. vigeßimo quinto. Et lib. secundo cap. decimo quarto. Sed et in sacris literis frequentes esse probãt Diuus Hieronymus, tom. septimo cap. nono in Ecclesiastem. Et tom. nono, lib. tertio in Ep. ad Ephesios. Et Diuus Augustinus tom. septimo, lib. primo contra epistolam Parmeniani cap. sexto.*

§. XXV SEquitur similitudinem differentia, rei maxime contraria superiori: sed est eiusdem dissimile & simile inuenire. Eius generis hæc sunt: Non quemadmodum quod mulieri debeas, recte ipsi mulieri sine tutore auctore soluas, ita, quod aut pupillæ, aut pupillo debeas, recte poßis eodem modo soluere.

Sequitur

Sequitur similitudinē differētia. *Sed est eiusdē* 1
dißimile & simile inuenire. Quia eo ipso quod aliqua qualitate simile est, efficitur idem non esse: quod si non idē, ergo alia qualitate dißimile: igitur qui inuenerit similitudinem, discernet cur non sit idem: et qui differentiam viderit, & aliquam cernet similitudinem.

Non quemadmodum quod mulieri debeas. 2
Quæstio est an & mulieribus & pupillis recte sine tutore auctore soluatur. Vbi, vt Hotomanus lib. primo Obseruat. scribit. cap. vigeßimo secundo, hoc ambigitur. An idem illud, nimirum recte sine tutore soluere: duobus illis, scilicet mulieribus & pupillis, recte tribuatur, quasi similia & consentanea inter se sint. Sumitur vero medij loco ea differentia, quæ est inter mulieres & pupillos: alia est tutelæ mulieris, alia pupilli ratio: primum quia, vt Boetius, Visorius, Latomus notant, pupillus nullum suæ etiam ministrandæ vtilitatis iudicium habet: mulieribus aliquis est, & si nō firmus, in explicāda familiaris rei vtilitate delectus. Deinde quia, vt Alex. ab Alex. lib. quarto Genial. dier. cap. octauo. Cuiacius lib. septimo Obseruat. cap. vndecimo. Et Hotomanus lib. primo Obseruat. Et ad leges. 12. tab. tertia parte, cap. 11. aiūt & à nobis supra mōstratū est, pupillorū tutela certo anno rum termino finitur: fœminarū legitimas & perpetuas olim tutelas, lex Claudia sustulit. Quibus cum ostēdatur quæstionis partes non cohærere, efficitur prædicatū terminū, idest recte sine tutore soluere, subiectis terminis, idest mulieri et pupillo nō æque cōuenire. Vnde lege. 15. ff. de solutionibus

 & libe

& liberationibus, Paulus ait, Pupillo solui sine tutoris autoritate non potest.

§.XXVI DEinceps locus est, qui à cõtrario ducitur. Contrariorum autem genera sunt plura. Vnum eorum, quæ in eodem genere pluri mũ differunt, vt sapientia & stultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus propositis occurrunt tamquam è regione quædam contraria, vt celeritati tarditas, non debilitas, ex quibus contrarijs argumenta talia existunt: si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur: & bonitatem, si malitiam, hæc, quæ ex eodem genere contraria sunt, appellantur aduersa. Sunt enim alia contraria, quæ priuantia licet appellemus Latine, Græce appellantur Sterectichà. Præpositio enim, I N, priuat verbum ea vi, quam haberet, si, I N, præpositum non fuisset: vt dignitas, indignitas, humanitas inhumanitas, & cætera generis eiusdem. Quorum tractatio est eadem, quæ superiorum: quæ aduersa dixi. Nam alia quoque sunt contrariorum genera, velut ea, quæ cum aliquo conferuntur, vt duplum, simplum, multa, pauca: longum, breue, maius, minus: Sunt etiam

etiam valde contraria alia, quæ appellantur negantia, ea Apophatichà Græci, contraria aientibus: vt, si hoc est, illud non est. Quid enim opus exemplo est? tantum intelligatur argumento quærendo, contrarijs omnibus contraria non conuenire.

CONtrariorum autem genera sunt plura. 1
Boetius refert, oppositorum, secundum Aristotelem, alia esse contraria, vt album & nigrum; alia priuatio & habitus, vt visus cæcitas, dignitas indignitas: alia relatiua vt pater filius, dominus seruus: alia contradictoria vt dies est, non est dies; Rursus contraria alia esse mediata vt album atq; nigrum, quorum medij colores sunt rubeus, aut pallidus. Alia immediata, quorum medium non est, vt grauitas, leuitas: namq; quod nec sursum nec deorsum feratur, nihil poterit inueniri. Atq; horum omnium generum rationem & inter se discrimina, idem Boetius ex eodem Aristotele latius proponit.

Vnum eorum quæ in eodem genere plurimum differunt. 2 *Album & nigrum quanquam aduersa sint, tamen sub vno genere scilicet colore: censeri certū est: quemadmodum celeritas & tarditas sub motu: sapientia & stultitia, idest virtus & vitium sub habitu. Nec mouet quod lib. primo de inuentione, idem Cicero scribit. Contrariū est quod positum in genere diuerso, ab eodem, cui cōtrarium esse dicitur, plurimū distat, vt frigus calori, vitæ*

 mors.

mors. Et Aristoteles lib. 4. Topic. cap. tertio. Et lib. 7. cap. 25 Et lib. 10. Metaphys. probat cõtraria aliquãdo in eodẽ genere poni, nonnunquã in diuersis; vt prudentiæ genus, est virtus: imprudẽtiæ, vitiũ. Nam, vt ex eodẽ probatur Aristotele, nulla sunt aduersa quæ nõ sub vno genere, si non quidem subalterno, saltem generalißimo comprehendãtur. Itaq; iustitia atq; iniustitia, & sub diuersis generibus intermedijs, virtute & vitio, numerantur: & iustitiam atq; iniustitiam supremum genus, habitus, complectitur.

3 Præpositio enim, IN, priuat verbũ ea vi quã haberet, si, IN, præpositum non fuisset. Vt dignitas indignitas, humanitas inhumanitas, & cætera generis eiusdem. *Apud Gellium lib. secundo, Noct. Att. cap. decimo septimo, relatum est, obseruate curioseq; animaduertisse M. Tullium, In, & Con. præpositiones, verbis aut vocabulis præpositas, tũc produci atq; protẽdi, cũ literæ sequerẽtur, quæ primæ sunt in sapiẽte atq; felice, in alijs aũt omnibus correpte pronũciari. Illud quoque à Seruio, Diomedeq; grammaticis animaduersum Alciatus refert, in l. Notionẽ. ff. de verb. sig. et lib. 2. Parerg. cap. vigeßimo tertio, Præpositionem, in, accusatiuo casui appositam, vsque, significare. Vergilius, in lucemq; tulißet, idest vsque ad lucem. Martialis, in lucem semper Acerra bibit. Quod autem Visorius notat, præpositionẽ, in, augere aliquãdo apud Iurisconsultos, apud quos, indifficili, pro valde difficili reperiatur, mihi non satisfacit: magis puto, veterum more Iurisconsultos, indifficili est, dixisse pro difficile est: quemad-*

quemadmodum in procliui, in promptu, in tuto, in caussa, in vitio esse dicimus. Atq; ita accipio quod est apud Scæuolã in l. Gallus. §. vlt. ff. de liber. Et posth. ille casus indifficili est, si filium habeas, & nepotem nondum natum instituas, isq; nascatur viuo patre suo, ac mox pater decedat. Et apud Tryphoninum in l. octaua. ff. de cõfirmando tutore vel curatore. In confirmando tutore hoc Prætor inquirere debet, an durauerit patris voluntas, quod infacili est, si proximo mortis tẽpore tutores non iure, vel curatores scripserit pater.

Quorum tractatio est eadem quæ superiorum, quæ aduersa dixi. *Nam quemadmodum ab asseueratione vnius aduersariorum, ad negationem alterius argumentamur: ita & in habitu & priuatione idem facere licebit: inhumanitatem auersemur, si humanitas consectanda est.* 4

AB adiunctis autem posui equidem exemplum paulo ante, multa scilicet adiungi, quæ suscipienda essent, si statuissemus ex edicto secundum eas tabulas possessionem dari, quas is instituisset, cui testamenti factio nulla esset. Sed locus hic magis ad cõiecturales caussas, quæ versantur in iudicijs, valet: cum quæritur quid aut sit, aut euenerit, aut futurum sit, aut quid omnino fieri posit. Ac loci quidem ipsius forma talis est. Admonet autem hic locus: §. xxvij.

locus,vt quæratur quid ante rem, quid cũ re, quid post rem euenerit. Nihil hoc ad ius, ad Ciceronem inquibat Gallus noster, si quis ad eum tale quid retulerat, vt de facto quæreretur: Tu tamen patiere nullum à me artis institutæ locum præteriri, ne, si nihil, nisi quod ad te pertineat scribendum putaris, nimium te amare videare. Est igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modo non Iurisconsultorum, sed ne Philosophorum quidem. Ante rem enim quæruntur, quæ talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutum conuiuium: Cum re autem, pedum crepitus, strepitus hominum, corporũ vmbræ, et si quid eiusmodi. At post rẽ, rubor, pallor, titubatio, si qua alia signa cõturbationis & conscientiæ: præterea restinctus ignis, gladius cruẽtus, ceteraq; quæ suspicionem facti possunt mouere.

1 AB adiunctis. *De quibus multa Aristoteles lib. 1. Rhet. ad Theodectẽ, cap. 2. Et in Rhet. ad Alexandrũ cap. de Signis. Autor ad Herennium lib. 2. Cicero lib. 1. de Inuẽtion. Quintilianus lib. 5. cap. nono, & decimo. Bucoldianus lib. 1. de Inuent. cap. decimo quarto. Et lib. secundo cap. tertio & quarto. Titelmanus lib. 5. Dialect. cap. vigeßimo. Euerardus loco centeßimo secundo, & centeßimo quarto.*

Nihil hoc ad ius, ad Ciceronem inquibat Gallus noster, si quis ad eum quid tale retulerat, vt de facto quæreretur. *Franciscus Duarenus in libello qui inscribitur Scæuola, numero tertio & quarto. Disputans sit ne Iurisconsulti ad quæstionem facti respondere ita hunc locum explicat. An, inquit, ariolus erat Cicero vt diuinaret facilius quid quisque faceret, quam Iurisconsulti sui temporis? minime vero. Quæstio igitur facti tunc proprie dicitur esse, cum afferuntur coniecturæ & argumẽta, ad fidem faciendam eius facti quod in iudicium deductum est, & dubitatur an sufficiat ea probatio, & an plene probatum sit nec ne. Et harum quæstionum tractatio Oratorum magis est quam Iurisconsultorum.* 2

Est igitur magna ex parte locus hic oratorius non modo non Iurisconsultorum, sed ne Philosophorum quidem. *Et si enim & hic quoque locus sit omnium disputationum ad argumenta suppeditanda, tamẽ Oratorum disputationibus abũdantius occurrit: Iurisconsultorum & Philosophorum angustius. Iurisconsultorum, quoniam non tam Iuris scientia, quam signis & suspicionibus explicatur: Philosophorum, quod circa qualitates quæ in rebus expetendis vel fugiendis sunt, philosophia potius versetur. Itaq; consulto Cicero hunc locum, magna ex parte esse oratorium dixit: nõ, ad Oratores solos pertinere.* 3

Deinceps est locus Dialecticorũ proprius ex consequentibus & antecedentibus & repugnan §. xxviij.

repugnantibus qui etiam ab adiunctis longe diuersus est. Nam adiuncta, de quibus paulo ante dictum est, non semper eueniunt, consequentia autem semper. Ea enim dico consequentia, quæ rem necessario consequuntur. Itemq; & antecedentia & repugnantia: quicquid enim antecedit qnanque rem, id cohæret cum re necessario: & quicquid repugnat, id eiusmodi est, vt cohærere nunquam possit. Cum tripertito igitur distribuatur locus hic, in consecutionem, antecessionem, repugnantiam, reperiendi argumenti locus simplex est, tractandi triplex. Nam quid interst, cùm hoc sumpseris, pecuniam numeratam mulieri deberi, cui sit omne argentum legatum, vtrum hoc modo concludas argumentum? Si pecunia signata argentum est, legata est mulieri: est autem pecunia signata argentum, legata igitur. An illo modo? Si numerata pecunia non est legata, non est numerata pecunia argentum: est autem numerata pecunia argentum, legata igitur est. An illo modo: Non & legatum argentum est, & non est legata numerata pecunia: legatum autem argentum est, legata igitur numerata pecunia est. Appellant autem Dialectici eam

conclusio

conclusionem argumenti, in qua cum primum assumpseris, consequitur id, quod annexum est, primum conclusionis modum. Cum id, quod annexum est, negaris, vt id quoque cui fuerit annexum, negandum sit: secundus appellatur concludendi modus. Cum autem aliqua coniuncta negaris, & his alia negatio rursus adiungitur, & ex his primum sumpseris, vt, quod relinquitur, tollendum sit: is tertius appellatur conclusionis modus. Ex hoc illa Rhetorum sunt ex contrarijs conclusa, quæ ipsi Enthymemata appellant: nõ quod omnis sententia proprio nomine Enthymema dicatur: sed vt Homerus propter excellentiam commune poetarum nomen efficit apud Græcos suum; sic, cum omnis sententia Enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex contrarijs conficiatur, acutissima, sola proprie nomen commune possidet. Eius generis hæc sunt: Hunc metuere, alterũ in metu non ponere: Eam, quam nihil accusas, damnas: Bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri. Id, quod scis, prodest: nihil id, quod nescis, obest. Hoc disserendi genus, attingit omnino vestras quoque in respondẽdo disputationes, sed Philosophorum magis, quibus

est cum Oratoribus illa ex repugnãtibus sententijs communis conclusio, quæ à Dialecticis tertius modus, à Rhetoribus Enthymema nũcupatur. Reliqui Dialecticorum modi plures sunt, qui ex disiunctionibus constant: aut hoc aut illud: hoc autem, non igitur illud. Itemq; aut hoc, aut illud: non autem hoc, illud igitur. Quæ conclusiones iccirco ratæ sunt, quod in disiunctione plus vno verum esse non potest. Atq; ex ijs conclusionibus, quas supra scripsi, prior quartus, posterior quintus à Dialecticis modus appellatur. Deinde addunt cõiunctionum negantiam, sic: Non & hoc est, & illud: hoc autem, non igitur illud. Hic modus est sextus. Septimus autem, Non & hoc, & illud: nõ autem hoc, illud igitur. Ex his modis conclusiones innumerabiles nascuntur, in quo est fere tota dialectica. Sed ne eæ quidem, quas exposui, ad hanc institutionem necessariæ.

1 DEinceps est locus Dialecticorũ proprius. *Antecedentium, consequentium, repugnantium locum vnum esse, cumq; recte conditionalem appellari. Conditionalis propositio quid sit. Cur non similitudo & contrariũ locus sit vnus. Quare hic locus Dialecticorũ proprius: quomodo differat ab adiũctis. An idem sit cũ genere, specie contrario:*

contrario: & qualiter à cæteris locis distinguatur, copiosius explicat Boetius. Quemadmodum & ea quæ de diuersis conclusionis modis, & hyppotheticis propositionibus subinfert Cicero. Quare, mearum partium esse non sum arbitratus, quæ hic ab interpretibus exposita sunt diligenter, quasi de meo ponere, et venditare pro nouis.

Quæ ipsi Enthymemata appellant. *De quibus satis multa Aristoteles lib. secundo Priorum resolutionum, & lib. primo posteriorum. Et in Rhet. ad Theodectem, lib. primo & secundo. Et Quintilianus, in Oratorijs Institutionibus.* 2

Vt Homerus propter excellentiam, cõmune Poetarum nomen efficit apud Græcos suum. *Iustinianus Imp. lib. primo Institut. titulo secundo, de Iure naturali gentium & ciuili. Sed quoties, inquit, non addimus nomen, cuius sit ciuitatis, nostrum ius significamus: sicuti cũ poetam dicimus, nec addimus nomẽ, subauditur apud Græcos Egregius Homerus: apud nos Virgilius.* 3

PRoximus est locus rerum efficiẽtium, quæ caussæ appellantur: deinde rerum effectarum ab efficientibus caussis. Harum exempla vt reliquorum locorum, paulo ante posui, & quidem ex Iure ciuili: sed hæc patent latius. Caussarũ igitur genera duo sunt. Vnũ, quod vi sua id, quod sub ea subiectum est, certe efficit, vt ignis accendit. Alterum, quod naturam §XXIX

efficiendi non habeat, sed sine quo effici nō posſit: vt ſi quis æs cauſſam ſtatuæ velit dicere, quod ſine eo non poſsit effici. Huius generis cauſſarum, ſine quo non efficitur, alia ſunt quieta nihil agentia, ſtolida quodammodo, vt locus, tempus, materiæ, ferramenta, & cætera generis eiuſdem: alia autem præcurſionē quandam adhibent ad efficiendum, & quædam afferunt per ſe adiuuantia, & ſi non neceſſaria, vt amori cōgreſsio cauſſam attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere cauſſarum, ex æternitate pendentium, fatum à ſtoicis nectitur. Atque vt earū cauſſarū, ſine quibus effici nō poteſt, genera diuiſi, ſic etiā efficiētiū diuidi poſſunt. Sunt enim aliæ cauſſæ, quæ plane efficiant nulla re adiuuante, aliæ, quæ adiuuari velint: vt ſapientia efficit ſapientes ſola per ſe: beatos efficiat nec ne ſola per ſe, quæſtio eſt. Quare cum diſputationem inciderit cauſſa efficiens aliquid neceſſario, ſine dubitatione licebit quod efficitur ab ea cauſſa concludere. Cum autem erit talis cauſſa, vt in ea non ſit efficiendi neceſsitas, neceſſaria concluſio non ſequitur. Atque illud quidem genus cauſſarum, quod habet vim efficiendi neceſſariam, errorem afferre non fere ſolet: hoc autem

autem, sine quo non efficitur, sæpe contur-
bat. Non enim, si sine parentibus filij esse non possunt, propterea caussa fuit in parentibus gignendi necessaria. Hoc igitur, sine quo non fit, ab eo, in quo certe fit, diligenter est separandum. Illud enim est tanquam. Vtinam ne in nemore Pelio securibus cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes. Nisi enim cecidissent abiegnæ ad terram trabes. Argo illa facta non esset: nec tamen fuit in his trabibus efficiendi vis necessaria. At cum in Aiacis nauim crispisulcans igneum fulmen iniectum est, inflãmatur nauis necessario. Atque etiã est caussarũ dissimilitudo; quod aliæ sunt, vt sine vlla appetitione animi, sine volũtate, sine opinione suũ quasi opus efficiãt, velut omne intereat, quod ortum est. Aliæ autẽ aut voluntate efficiuntur, aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut casu. Voluntate, vt tu cum hunc libellum legis. Perturbatione, vt si quis euentum horum temporũ timeat. Habitu, vt facile & cito irascatur. Natura, vt vitium in dies crescat. Artẽ, vt bene pingat. Casu, vt prospere nauiget. Nihil horum sine caussa, nec quicquam omnino, sed huiusmodi caussæ nõ necessariæ.

Omnium autem caussarum in alijs inest constantia, in alijs non inest. In natura & in arte constantia est, in cæteris nulla. Sed tamen earum caussarum, quæ non sunt constantes, aliæ sunt perspicuæ, aliæ latent. Perspicuæ sunt quæ appetitionē animi, iudiciumq; tāgūt. Latent, quæ subiectæ sunt fortunæ. Cum enim ni hil sine caussa fiat, hoc ipsum est fortunæ, euētus obscura caussa, quæ latenter efficit. Effi citur etiam vt ea, quæ fiūt, partim sint ignor a ta, partim voluntaria: Ignorata, quæ necessitate effecta sunt. Voluntaria, quæ consilio. Quæ autem fortuna, vel ignorata, vel voluntaria. Nam iacere telū volūtatis est: ferire quē nolueris, fortunæ. Ex quo aries ille subijcitur in vestris actionibus: Si telum manu fugit, ma gis, quàm iecit. Cadunt enim in ignorationē atq; in imprudentiam perturbationes animi, quæ quanquam sint voluntariæ, obiurgatione enim & admonitione deijciuntur, tamen habent tantos motus, vt ea, quæ voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur. Toto igitur loco caussarū explicato, ex earum differentia in magnis quidē caussis vel Oratorum, vel Philosophorum ma gna argumentorum suppetit copia: in vestris autem,

autem, si nō uberior, at fortasse subtilior. Priuata enim iudicia maximarum quidem rerū, in Iurisconsultorum mihi videntur esse prudētia. Nam & adsunt multum, & adhibentur in consilio, & patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus hastas ministrāt. In omnibus igitur ijs iudicijs, in quibus, ex fide bona, est additum; vbi vero etiam, vt inter bonos bene agier oportet, in primisq; in arbitrio rei vxoriæ, in quo est, quid æquius, melius, parati esse debent. Illi enim dolum malū, illi fidem bonam, illi æquum bonum, illi quid socium socio, quid eum, qui negocia aliena curasset, ei, cuius ea negocia fuissent; quid eum, qui mandasset, cum ve, cui mandatum esset, alterū alteri præstare oporteret; quid virum vxori, quid vxorem viro, tradiderunt. Licebit igitur, diligenter cognitis argumentorum locis, non modo Oratoribus & Philosophis, sed Iuris etiam peritis copiose de consultationibus suis disputare. Coniūctus huic caussarum loco, locus ille est, qui efficitur ex caussis. Vt enim caussa effectum indicat, sic, quod effectū est, quæ fuerit caussa demonstrat. Hic locus suppeditare solet Oratoribus & Poetis sæpe etiam Philosophis, sed ijs, qui ornate &

copiose loqui possunt, mirabilem copiã dicendi, cum denunciant quid ex quaque re sit futurum. Caussarum enim cognitio cognitionem euentorum facit.

1 PRoximus est locus rerum efficientiũ, quæ caussæ appellantur. *Caussarũ igitur genera duo sunt. In Partitionibus oratorijs, idem Cicero scribit. Caussarum autem genera sunt plura. Nam sunt aliæ quæ ipsæ conficiunt, aliæ quæ vim aliquam ad cõficiendum afferunt. Itaque illæ superiores conficientes vocentur, hæ reliquæ ponãtur in eo genere, vt sine his confici non poßit. Conficiens autem caussa alia est absoluta & perfecta per se, alia aliquid adiuuans: & efficiendi socia quædam. Cuius generis vis varia est, & sæpe aut maior aut minor, vt & illa quæ maximam vim habet, sola sæpe caussa dicatur. Sunt autem aliæ caussæ, quæ aut propter principium, aut Propter exitum eõficientes vocantur. Et Plato in Ciuili vel de regno. Quæcunq;, inquit, rem ipsam non fabricant, sed fabricantibus organa subministrant, quibus absentibus institutum opus nunquam perficeretur, eas concaussas, vt ita dixerim nominamus: eas autem ipsas quæ principaliter faciunt, caussas appellamus. Idem in Timæo. Duas, ait, caussarũ species distinguere decet. Vnam quidem necessariam: alteram vero diuinam. Caussa autem quid sit, in Hippia maiori: quomodo inuestiganda in Phædone: quomodo aßignanda, & ab effectu distinguẽda, in Eutyphro: idem Plato nos docuit. Aristoteles vero quem sunt plerique sequuti, caussarum, quatuor ponit species,*

species, materialem, efficientẽ, formalẽ, & finalem. Libro primo de Generatione, cap. 1. lib. de Somno & Vigilia. lib. secundo Posteriorum resolut. lib. secundo Physicor. Et lib. secundo, Metaphys. Ac inter eas velut gradus constituens, finalem caussam principaliorem cæteris dixit, lib. primo de Partibus anim. cap. primo. Efficientem quoq; meliorem & diuiniorem, quam materialem lib. secundo de Generatione. cap. primo; vbi de caußis satis multa, & cap. quarto. Et lib. quinto cap. primo. Et in libris Metaphys. sæpe. Quarũ omnium caussarum, proponi quidem multa possent exempla vel ex ipso Iure ciuili: nã & hæc quoque Cantiuncula in Topicis legalibus: Appellus in Methodica Dialectices ratione ad Iurisprudẽtiam accommodata: Gamarus de Modo disputandi ac ratiocinandi in Iure, non leuiter attigerũt. Verum hæc me notasse capita satis sit.

Ex hoc genere caussarum ex æternitate pendentium, fatum à Stoicis nectitur. *De fato plura Cicero libro singulari. Plato in Gorgia, & lib. duodecimo de Legibus. Gellius lib. sexto, Noct. Att. cap. secundo. Illud notandum est, docte Ciceronem, quod & Chrysippus fecerat, fatum inter adiuuantia, non inter necessaria numerasse.* 2

Vt sapientia efficit sapientes, sola per se: Beatos efficiat nec ne sola per se, quæstio est. *Stoici solã virtutẽ per se efficere beatos aiunt: Peripatetici, non solã per se, sed cũ corporis & fortunæ bonis: vt à Cicerone in Paradoxis, & in libris de Finibus bon. & mal. relatũ est.* 3

Ex eo vero quod sapientiam efficere sapientes solam per se Cicero scribit: illud consequi putat Boetius, aliquando efficientem caussam, & formam, idem esse. Nam sapientia sapientis forma est: eademq; sapientē efficiens caussa.

4 Quare cum in disputationē inciderit caussa efficiens aliquid necessario, sine dubitatione licebit, quod efficitur ab ea caussa cōcludere. *Vt si sol lucet ergo dies est. Sapientia est præditus, ergo sapiens est.*

5 Cum autem erit talis caussa, vt in ea nō sit efficiendi necessitas, necessaria conclusio non sequitur. *Vt cōgressus est, ergo amauit: æs est, ergo statua.*

6 Non enim si sine parentibus filij esse nō possunt. *Exemplum caussæ efficientis, sed non necessario.*

7 Vtinam ne in nemore Pelio. *Senarij sunt ex Medea Ennij. Quintilianus lib. quinto cap. decimo. Recte autem monemur, caussas non vtiq; ab vltimo esse repetendas, vt Medea: vtinam ne in nemore Pelio. Quasi vero id eam fecerit miserā, aut nocentē, quod illæ ceciderint abiegnæ ad terram trabes. Et autor ad Herennium lib. 2. ne Ennium & cæteros poetas imitemur, quibus hoc modo loqui cōcessum est. Vtinam ne in nemore Pelio securibus. Quod ad fabulā attinet, apud Orpheum, Apollonium, Flaccū, Diodorum, Strabonem, Crinitum, lib. decimo quinto, cap. sexto. Et Pollitianum, cap. vigeßimo septimo. Miscell. Lector inueniet.*

8 At cum. *Exemplum caußæ efficientis necessario.*

9 In Aiacis nauim crispisulcans igneum fulmen iniectum

iniectum est. *Ob compressam Cassandram Priami filiã, in templo Palladis, ab Aiace Oileo, quã Pallas vlta est. Virgilius primo Æn. Pallas ne exurere classem Argiuũ, atq; ipsos potuit submergere ponto, vnius ob noxã, & furias Aiacis Oilei? Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem; Disiecitq; rates, euertitq; æquora ventis. Illum expirãtem transfixo pectore flammas Turbine corripuit, scopuloq; infixit acuto.*

Atque etiam est caussarum dissimilitudo. *Hæc* 10
caussarum diuisio est, vt Latomus notat, non secundũ vim, qua efficiunt: sed secundum modum efficiendi.

Natura, vt vitium indies crescat. *Memineris, in-* 11
quit Viforius, naturam hoc in loco, pro facilitate quadam, & naturali promptitudine capi: vt, adolescentes suapte natura ad libidinem prompti sunt. Et Latomus ait. Hic naturam accipe, non in vniuersum, sed pro ingenio cuiusque, quod cum delectu agit, vt in iracundo & libidinoso, qui natura tales sunt, in quibus cum valet vitium, natura id fieri dicitur.

In natura & in arte constantia est, in cæteris 12
nulla. *Ergo habitus incõstanter agit: idq; Boetius probat: Viforius improbat, atq; habitum constanter agere, & ipsum putat sensisse Ciceronem.*

Hoc ipsum est fortunæ, euẽtus obscura caussa 13
quæ latenter efficitur. *Istam sententiam euertere Boetius nititur multis argumentis, potiusq; ex Aristotele dicendum, fortunam vel casum esse, caussam per*

 accidens

accidens rarius euenientium in his rebus, quæ propter aliquid fiunt.

14 Ex quo aries ille subijcitur in vestris actionibus: si telum manu fugit, magis quam iecit. *Id est fortissima defensio, ad liberandum reum, sumpta metaphora ab Ariete bellico, de quo Vegetius & alij: per imprudentiam & fortuito telum manu fugisse. Cuius exceptionis vim, multa capita Iuris ciuilis & Pontificij ostendunt, in titulis de Iniurijs, & de Homicidio voluntario vel casuali. Et nos notauimus ad legem primam. ff. lib. quinto, de Ratione præmij & pœnæ.*

15 Cadunt in ignorationem, atque in imprudentiã perturbationes animi, quæ quanquã sint voluntariæ (obiurgatione enim & admonitione deijciuntur) tamen habent tantos motus, vt ea quæ voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur. *Id est, vt recte Boetius, Visorius, Latomus, Foxius, Barba interpretãtur, perturbationes animi, tametsi volũtarias esse, vel illud probet, quod admonitione quandoq;, aut obiurgatione sedantur, tamen quoniam animi paßio, iudicium turbat, cõfunditq; rectam discretionem, si acrior fuerit, quã vt rationis retinaculis temperetur: plerunq; tales ex perturbationibus cieri motus videmus, vt vel ignorantia, vel neceßitate potius commissum peccatum esse videatur.*

16 Priuata enim iudicia maximarum quidem rerum,

rum, in Iurisconsultorum mihi videntur esse prudentia. *Priuata iudicia, plerique interpretantur, ciuiles cõtrouersias apud Centumuiros. Sed verius est, priuatum iudicium esse quod rei priuatæ caussa instituatur, nec ad Remp. directò pertineat: veluti cum de re pecuniaria, aut priuati hominis iniuria quæritur. Publicum, quod eius iniuriæ caussa susceptum sit, quam Resp. lege aliqua lata, ad se pertinere statuat: atque hoc semper in crimine aliquo cognoscendo versatur: vt rectè Hotomanus de Verbis Iuris & Sigonius lib. secundo, cap. decimo octauo, de Antiquo iure Ciuium Rom. Probauerunt. Et Platonis sententia lib. sexto, de Legibus constitutum est. Reliqua, inquit, iudicia duo sint: Alterum quando priuatus iniuriam à priuato pati conqueritur, eumq́; in iudicium trahit. Alterũ quando Reip. iniuriam à Ciuium aliquo fieri arbitratus aliquis, communibus rebus auxiliari conatur.*

Nam & adsunt multum. *Adesse dicebantur actores, vel consulti, qui litigantibus, iuris sui persequendi vias tradebant. Cicero pro Cecinna. Percommodè cecidit quod non adest is, qui paulò ante adfuit, & adesse nobis in hac caussa solet Caius Aquilius. Quintilianus lib. duodecimo, cap. tertio. Quid fiet in altercatione, vbi occurrẽdum continuò, nec libera ad discendum mora est? Quid si forte Peritus iuris illi non aderit? Et notat Brissonius lib. primo Select. cap. vigesimo.* 17

Et patronis diligentibus ad eorũ prudẽtiam confugientibus, hastas ministrant. *Sic lib. primo de Oratore* 18

de Oratore. Itaq; illi disertißimi homines, ministros habet in caußis Iurisperitos, cum ipsi sint peritißimi, & qui, vt abs te paulò ante dictum est, pragmatici vocantur. Et Quintilianus lib. duodecimo, cap. tertio. Neque ego sum nostri moris ignarus, oblitus ue eorum, qui velut ad arculas sedent, & tela agentibus subministrant: neq; idem Græcos quoque nescio factitaße: vnde nomen his pragmaticorum datum est. Cæterum hastas Cicero appellat, instrumenta defensionis, aut accusationis, siue argumenta. Sicut & in Partitionibus. Accusator rerum ordinem prosequitur, & singula argumenta, quasi hasta in manu collocata vehementer proponit, concludit acriter: confirmat tabulis, decretis, testimonijs.

- Res.
  - Efficiẽtes. Siue caussæ
    - Sua vi efficientes.
      - Nulla re adiuuante.
      - Quæ adiuuari volunt.
    - Sine quibus effici nõ potest
      - Quietæ & stolidæ.
      - Precursiuæ & adiuuantes.
  - Effectæ.

Efficiens

- Caussa
  - *Efficiens necessario*
  - *Sine qua effici non potest.*
    - *Quieta*
      - *Materia*
      - *Locus*
      - *Tempus*
      - *Instrumentū*
    - *Agēs, vt præcursiones et auxilia.*

- Caussa
  - *Cum delectu agens, vt*
    - *Voluntas*
    - *Perturbatio.*
    - *Natura*
    - *Habitus*
    - *Ars*
    - *Casus*
  - *Sine delectu agens, vt natura sensu carens. quæ in hoc mundo, ac deinceps in cæteris omnibus rebus infusa est.*

- Caussa
  - *Constanter agens, vt*
    - *Natura*
    - *Ars*
  - *Inconstāter agens.*
    - *Perspicua*
      - *Voluptas*
      - *Perturbatio*
      - *Habitus*
    - *Latens, vt Casus.*

- *Quæ fiunt partim sunt.*
  - *Ignorata, vt quæ necessario fiunt. Vrit ignis*
  - *Voluntaria, quæ consilio fiunt. Vt cum hæc scribo.*
  - *Vel ignorata, vel voluntaria, quæ fortuna fiunt. Iacere telum voluntatis est: ferire quem volueris fortunæ.*

Reliquus.

§.XXX RELiquus est comparationis locus, cuius genus & exẽplum supra positum est, vt cæterorũ: nunc explicanda tractatio est. Cõparantur igitur ea, quæ aut maiora, aut minora, aut paria dicuntur: in quibus spectantur hæc, numerus, species, vis, quædam etiam ad res aliquas affectio. Numero sic comparabuntur, vt plura bona paucioribus bonis anteponãtur, pauciora mala malis pluribus, diuturniora bona breuioribus, longe & late peruagata angustis, ex quibus plura bona propagẽtur, quæque plures imitentur, & faciãt. Specie autem comparantur, vt anteponantur quæ propter se expetenda sunt, ijs, quæ propter aliud: & vt innata atq; insita, assumptis & aduentitijs: integra, cõtaminatis: iucũda, minus iucũdis: honesta, ipsis etiã vtilibus: procliuia, laboriosis: necessaria nõ necessarijs: sua, alienis: rara, vulgaribus: desiderabilia, ijs, quibus facile carere possis: perfecta inchoatis: tota, partibus: ratione vtẽtia, rationis expertibus: voluntaria, necessarijs: animata inanimatis: naturalia, non naturalibus: artificiosa nõ artificiosis. Vis aũt in cõparatione sic cernitur, efficiẽs caussa grauior, quã non efficiens: quæ se ipsis contenta sunt, meliora, quam quæ egent alijs: quæ in

nostra-

nostra, quam quæ in aliorum potestate sunt: stabilia, incertis: quæ eripi nõ possunt, ijs, quæ possunt. Affectio autem ad res aliquas est huiusmodi. Principum commoda maiora, quam reliquorum, itemq; quæ iucundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoq; laudata. Atque vt hæc in comparatione meliora, sic deteriora quæ ijs sunt contraria. Parium autẽ comparatio nec elationẽ habet, nec submissionem: est enim æqualis. Multa autem sunt, quæ æqualitate ipsa comparantur, quæ ita fere concluduntur: Si, consilio iuuare ciues & auxilio, æqua in laude ponẽdum est, pari gloria debent esse ij qui consulunt, & ij qui defendunt: at quod primũ est: quod sequitur igitur.

Comparatio. { *Æqualium* / *Inæqualium.* { *Maiorum* / *Minorum* }}

In comparatione spectantur. { *Numerus* / *Species* / *Vis* / *Affectio* }

Atq;

Atque numerum quidem ad quantitatem, speciem ad sub stantiam: vim ad qualitatem: Affectionem ad relationem pertinere Latomus ait. Speciem Visorius, vel Dialecticam formam, vt & Latomus & Barba: vel pulchritudinem cũ Boetio interpretatur.

2 Numero sic comparabuntur, vt plura bona paucioribus bonis anteponantur. *Tractationi Comparationum, inserit maximas propositiones, quod non in omnibus locis fecerat.*

3 Diuturniora bona Breuioribus: longe & late peruagata angustis. *Ipsa enim diuturnitas, vt Boetius scribit, plurimos esse dies, vel menses, vel annos fatetur, quibus duret id quod eligitur. Longe lateq; peruagata: ea in plurimas gentes, regionesq; diffusa sunt. Pluralitas autem in his ad numerum spectat, sicut & sequentia. Ex quibus plura bona propagentur: quæq; plures imitentur & faciant.*

4 Si consilio iuuare ciues. *Exemplum in Trebatij gratiam, æquat Iurisprudentiã cum Oratoria facultate: vt Boetius & alij interpretantur. Pro Murena aduersus Sulpitiũ militarem artem, Iurisprudentiæ longe anteferendam probat.*

§XXXI PErfecta est omnis argumentorum inueniendorum præceptio, vt cum profectus sis à definitione, à partitione, à notatione, à coniugatis, à genere, à forma, à similitudine, à differentia,

ferentia, à contrariis, ab adiunctis, à cōsequentibus, ab antecedentibus, à repugnantibus, à caussis, ab effectis, à comparatione maiorum minorum, parium, nulla præterea sedes argumenti quærenda sit. Sed quoniam ita à principio diuisimus, vt alios locos diceremus in eo ipso, de quo ambigitur, hærere, de quibus satis est dictum; alios assumi extrinsecus; de his pauca dicamus: & si ea nihil omnino ad vestras disputationes pertinent, sed tamē totam rem perficiamus, quandoquidē cœpimus. Neque enim tu is es, quē nihil nisi ius ciuile delectat: & quoniam ad te hæc ita scribuntur, vt etiam in aliorum manus sint ventura, detur opera, vt quamplurimum iis, quos recta studia delectant, prodesse possimus.

PErfecta est omnis argumentorum inueniendorum præceptio. *Recte dixit, inueniendorū. Nam, vt Visorius scribit, quæ à locis intrinsecis depromūtur, ea dicitur Orator inuenire: de quibus hactenus dictum est. Quæ autem extrinsecus aßumuntur, quorum tractatio sequitur, ad inuentionem oratoris non pertinent; sed foris ad eum deferuntur. Imo in Partitionibus Cicero locos enumerans, eos tantum repetit, qui ad Oratorem maxime attinent, cæteros prætermittit. Atque eadem est ratio cur te-* 1

M *stimonia*

ſtimonia non dicantur affecta ad id de quo quæritur, quanquam ad ea, quorum ſunt teſtimonia, referri videantur: quemadmodum ſimilitudo, differentia, contrarium; eis quibus ſimilia, differentia, contraria ſunt: nimirum, vt Boetius ait, quia ex affectis argumenta quæ fiunt ab oratore inueniuntur, eiuſq; opera atque induſtria naſcuntur. Ea vero, quæ extrinſecus poſita ſunt, rei tantũ teſtimonium præbẽt. Nõ enim inueniũtur ab Oratore, ſed ijs Orator vtitur poſitis, atque ante conſtitutis.

§ xxxij. HAEC ergo argumentatio, que dicitur artis expers, in teſtimonio poſita eſt. Teſtimonium autem nunc dicimus, omne quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidẽ. Perſona autem non qualiſcunque teſtimonij pondus habet: ad faciendam enim fidem auctoritas quæritur. Sed auctoritatem aut natura, aut tempus affert, Naturæ auctoritas in virtute ineſt maxime. In tempore autem multa ſunt, quæ afferãt auctoritatẽ, ingeniũ, opes, ætas, fortuna, ars, vſus, neceſsitas, concurſio etiã nonnunquã rerũ fortuitarum. Nam & ingenioſos, & opulentos, & ætatis ſpatio probatos, dignos, quibus credatur, putant: non recte fortaſſe: ſed vulgi opinio mutari vix poteſt, ad eamq; omnia dirigunt & qui iudicant

& qui

& qui exiſtimant. Qui enim his rebus, quas di xi, excellunt, ipſa virtute videntur excellere. Sed reliquis quoque rebus, quas modo enu- meraui, quanquam in ijs nulla ſpecies virtutis eſt, tamẽ interdum cõfirmatur fides, ſi aut ars quædam adhibetur, magna enim eſt vis ad perſuadendum ſcientiæ; aut vſus; plerunque enim creditur ijs, qui experti ſunt. Facit etiam neceſsitas fidem, quæ cum à corporibus, tum ab animis naſcitur. Nam & verberibus, tor- mentis, igni fatigati quæ dicũt, ea videtur veri tas ipſa dicere: & quæ à perturbationibus ani mi ſunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia neceſsitatis vim habẽt, afferũt auctorita tem, & fidem. Cuius generis etiã illa ſunt, ex quibus nonnunquã verũ inuenitur, pueritia, ſomnus, imprudẽtia, vinolẽtia, inſania. Nam & pueri ſæpe indicauerunt aliquid, ad quod pertineret, ignari: & per ſomnum, vinum, in- ſaniam multa ſæpe patefacta ſunt. Multi etiã in res odioſas imprudentes inciderunt, vt Sta leno nuper accidit: qui ea locutus eſt bonis vi ris ſubauſcultantibus pariete interpoſito, qui bus patefactis, in iudiciumq; prolatis, rei ca- pitalis iure damnatus eſt. Huic ſimile qui- dam de Lacedæmonio Pauſania accepimus.

Concursio autem fortuitorum talis est, vt si in teruentum est casu, cum aut ageretur aliquid, quod proferendum non esset, aut diceretur. In hoc genere etiam illa est in Palamedem cõiecta suspitionũ proditionis multitudo: quod genus refutare interdum veritas vix potest. Huius etiam generis est fama vulgi quoddam multitudinis testimonium. Quæ autem virtute fidem faciunt, ea bipartita sunt. Ex quibus alterum natura valet, alterum industria. Deorum enim virtus natura excellit, hominum autem industria. Diuina hæc fere sunt testimonia: Primũ orationis: oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his Deorum oratio. Deinde rerum, in quibus insunt quasi opera diuina quædam. Primum ipse mundus, eiusq; omnis ordo & ornatus: deinceps aerei volatus auium atq; cantus: deinde eiusdem aeris sonitus & ardores: multarumq; rerum in terra portenta, atque etiam per exta inuenta præsensio. A dormientibus quoque multa significata visis: quibus ex locis sumi interdum solent ad fidem faciendam testimonia Deorum. In homine virtutis opinio valet plurimum. Opinio autem est, non modo eos virtutem habere, qui habeant, sed eos etiam, qui

habere videantur. Itaque quos ingenio, quos studio, quos doctrina præditos vident, quorumque vitam constantem & probatam, vt Catonis, Lælij, Scipionis, aliorumque plurium, rētur eos esse quales se ipsi velint. Nec solum eos censent tales esse, qui in honoribus populi, atque in rep. versantur, sed oratores, & philosophos, & poetas, & historicos, ex quorum & dictis, & scriptis sæpe auctoritas petitur ad faciendam fidem.

NAturæ autoritas in virtute inest maxime. 1
In tempore autē multa sunt, quæ afferāt auctoritatem, ingenium, opes, ætas, ars, vsus.

Imo vero virtutem ipsam, non natura contingere, sed tum doctrina, tum recta exercitatione viuendi consequi, quidā probauerunt. Ingenium, naturæ donum esse: artem atque vsum, partim naturæ, tempori partim tribuenda. Verum, vt Boetius scribit, maximas quidem, excellentesq́; res, recte Cicero in natura constituit: quæ vero posteriora sunt, sub tēpore posuit, iccirco quod omnia tempori subiecta, principalis boni non retinent statum. Virtus in deterius ipsa non flectitur. Ingenium atque opes, fortuna & ars & vsus sæpe non recta exercitatione deprauantur. Visorius & Barba, virtutem aiunt ad naturam referri, quia vt natura constans & stabilis est, sic virtus firma est et immota. Ingeniū

quoque deberi naturæ, sed non immerito sub tempore censeri, quia vt artis principium est natura, tempus vero finē arti imponit, & quod natura inchoatū est, arte perficitur: sic ingenij rudimenta, naturæ deberi: tempori perfectionē. Quintilianus lib. quinto. cap. primo, & sequentibus: probationis inartificialis partes facit, præiudicia, rumores, tormenta, tabulas, iusiurandum, testes.

2 Vt Stalerio nuper accidit. *Cicero pro Cluētio. Iam cætera nota sunt omnibus, vt cum illo Oppianicus egerit de pecunia, vt ille se rediturū esse dixerit, vt eorū sermonem omnem audierint viri boni, qui tum consultò prope in occulto stetissent, vt res patefacta atque in forū prolata, & pecunia omnis à Staleno extorta, atque erepta sit. Vnde Rinius hoc quoque loco, Staleno, legēdum putat, pro Stalerio.*

3 Huic simile quidam de Lacedæmonio Pausania accepimus. *Pausanias Argilo literas ad Xerxem, vel ad Artabanū Xerxis præfectum dedit, quibus Lacedæmonios prodebat. Argilus suspicatus aliquid de se scribi, re signatis cognouit, si ad regē referret, sibi moriendū esse, ne proditio vnquam vulgaretur: quare literas ad Ephoros potius detulit, à quibus hortatus vt in Neptuni templum cōfugeret, in quo subterraneus locus erat, ex quo quidquid loqueretur, audiri poterat, Pausanias ad eum veniens orat ne se proderet: atq; ita ab Ephoris auditus, proprio testimonio conuictus est. Autores AEmilius probus in Pausania. Et Thucydides lib. 1. Verum Iustinus libro secundo, Pausaniam non ab Argilo proditum scribit, sed ab Aristide Athenien*

Atheniensium duce, eius collega.

In hoc genere etiam illa est in Pallamedem coiecta suspicionum proditionis multitudo. 4

Aiunt Vlysem Pallamedi insidiatum, confictο in eum proditionis crimine, aurum in tentorio eius clam posuisse, literas Priami ad eum finxisse: accusasse denique & effecisse, vt damnatus lapidaretur. Caussas autem odij fuisse, quod eum inuitum & insaniam simulantem Pallamedes ad bellum coegerit. Item quod Pallamedes multum frumēti aduexisset ex Thracia, vnde nihil aduxerat Vlyses. Vnde virgilius in secundo, Fando aliquid si forte tuas peruenit ad aures, Belidæ nomē Pallamedis & inclita fama, Gloria, quē falsa sub proditione Pelasgi Insontem infando indicio quia bella vetabat Demisére neci, nunc cassum lumine lugent. Dictys Cretensis lib. secūdo de bello Troiano aliter narrat. Per idem, inquit, tempus Diomedes & Vlyses consilium de interficiendo Pallamede ineunt, more ingenij humani, quod imbecillum aduersum dolores animi, & inuidiæ plenum, anteiri se à meliore haud facile patitur. Igitur simulato quod thesaurum repertum in puteo, cum eo partiri vellent, remotis procul omnibus, persuadent, vt ipse potius descenderet. Eumque nihil insidiose metuentem, adminiculo funis vsum deponunt: ac propere arreptis saxis, quæ circum erant, desuper obruunt. Ita vir optimus acceptusq; in exercitu, cuius neque consilium vnquam, neque virtus frustra fuerat, circumuētus à quibus minime debuerat, indigno modo interijt. Sed fuere qui eius consilij haud

expertem Agamemnonem dicerent, ob amorem ducis in exercitum: & quia pars maxima regi ab eo cupiens, tradẽdum ei imperium, palam loquebantur. Igitur à cunctis Græcis veluti publicum funus eius crematum igni, aureo vaſculo ſepultum eſt.

Teſtimoniũ.
- *Diuinum.*
  - *Oracula*
  - *Auſpicia*
  - *Vaticinationes*
  - *Reſponſa*
- Humanũ in
  - *Scriptis vt,*
    - *Chirographa*
    - *Tabulæ*
  - *Oratione*
    - *Libera vt*
      - *Fama*
      - *Virorũ ſentẽtiæ*
      - *Dicta teſtium*
    - *Expreſſa*
      - *Religione*
      - *Tormentis.*

Testimonium ad fidem faciẽdũ, autoritatẽ quærit. Autoritatẽ autẽ affert

- Natura. Cuius autoritas in virtute inest maxime.
  - Natura. Diuina enim virtus natura excellit.
    - Orationis. Oracula, ex eo ipso apellata, quod insit in eis diuina oratio.
  - Cuius sunt testimonia.
    - Rerũ, in quibus insũt quasi quædã opera diuina.
      - Mũdus eiusq; ordo
      - Aerei volatus auiũ
      - Auium cantus
      - Aeris sonitus
      - Ardores
      - Portenta
      - Præsẽsio per exta
      - Visa dormiẽtium.
- Quæ aũt virtute fidẽ faciũt, valẽt.
  - Industria, qua homines excellũt. In homine enim virtutis opinio valet plurimũ. Opinio autẽ est non modo eos virtutẽ habere qui habeant: sed eos etiam qui habere videantur. Itaq; ex scriptis, dictis Oratorũ, Philosophorum Poetarum, Historicorum, aliorumq; quos ingenio quos doctrina, quos studio præditos censemus, quorũq; vitam constantem & probatam iudicamus, auctoritas petitur ad faciendam fidem.
  - Ingenium
  - Opes
  - Aetas
  - Fortuna
  - Tẽpus, in quo sũt
    - Ars
    - Vsus
    - Cõcursio fortuitorũ
    - Fama vulgi
    - Neceßitas, quæ nascitur tũ ab.
      - Animo, cuius sunt.
        - Dolor
        - Cupiditas
        - Iracundia
        - Metus
        - Pueritia
        - Somnus
        - Imprudẽtia
        - Vinolentia
        - Insania
      - Corpore, nã & verberibus, tormẽtis, igni, fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere.

§. xxxiij EXpositis ĳs omnibus argumētādi locis, illud primū intelligēdū est, nec vllā esse disputationē, in quā non aliquis locus incurrat, nec fere omnes locos incidere in omnē quæstionē & quibusdā quæstionibus alios, quibusdā esse alios aptiores locos. Quæstionū duo sunt genera: alterū infinitū: alterū definitū. Definitū est quod Hypóthesin græci, nos caussā. Infinitū, quod Thesin illi appellāt, nos propositū possumus nominare. Caussa certis personis, locis, tēporibus, actionibus, negocĳs, cernitur, aut in omnibus aut in plerisque eorū. Propositū aūt in aliquo eorū, aut in pluribus, nec tamē in maximis. Itaque propositū pars caussæ est. Sed omnis quæstio earū aliqua de re est, quibus caussæ cōtinētur, aut vna, aut pluribus, aut nonnū quā omnibus. Quæstionū aūt, quacunq; de re sint, duo sunt genera, vnū cognitionis, alterū actionis. Cognitionis sūt eæ, quarū finis est sciētia: vt si quæratur, à natura ne ius profectū sit, an ab aliqua quasi cōditione hominū & pactione. Actionis aūt huiusmodi exēpla sūt: sit ne sapiētis ad rēpub. accedere. Cognitionis quæstiones tripertitæ sūt, cū an sit, aut quid sit, aut quale sit, quæritur. Horū primū cōiectura, secūdū definitione, tertiū iuris et iniuriæ distinctione explica

explicatur. Cõiecturæ ratio in quatuor partes distributa est. Quarũ vna est, cũ quæritur, sit ne aliquid. Altera, vnde ortũ sit. Tertia, quæid caussa effecerit. Quarta, in quaͣ mutatione rei quæritur, sit, nec ne sit: Ecquidnã honestũ sit, ecquid æquũ: re vera, aut hæc tantũ opinione sint: vnde autẽ sit ortũ, vt cũ quæritur, natura an doctrina possit effici virtus. Caussa aũt efficiẽs sic, vt cũ quæritur, quibus rebus eloquẽtia efficiatur. De cõmutatione sic: possit ne eloquẽtia cõmutatione aliqua cõuerti in infãtiã. Cũ aũt quid sit quæritur, notio explicãda est, & proprietas, & diuisio et partitio. Hæc enim sunt definitioni attributa. Additur etiã descriptio quã Græci Charactẽra vocant. Notio sic quæritur, sit ne id æquũ, quod ei, qui plus potest, vtile est. Proprietas sic: in hominẽ ne solũ cadat, an etiã in belluas ægritudo. Diuisio & eodẽ pacto partitio, sic: Tria ne genera bonorũ sint. Descriptio, Qualis sit auarus, qualis assẽtator, cæteraq; eiusdẽ generis, in quibus natura et vita describitur. Cũ aũt quæritur, quale quid sit, aut simpliciter quæritur, aut cõparate. Simpliciter, Expetẽda ne sit gloria. Comparate, Præponenda ne sit diuitijs gloria. Simplicium tria genera sunt, de expetendo

fugiendo

fugiendoq; de æquo & iniquo, de honesto & turpi. Comparationum autem duo, vnum de eodem & alio, alterum de maiore & minore. De expetendo & fugiẽdo, huiusmodi: si expe tẽdæ diuitiæ, si fugienda paupertas. De æquo & iniquo: Equum ne sit vlcisci à quocunq; iniuriam acceperis. De honesto & turpi: Honestum ne sit pro patria mori. Ex altero autem genere, quod erat bipartitum, vnum est de eo dem & alio: vt si quæratur, quid intersit inter amicum & assentatorem, regem et tyrannum. Alterũ, de maiore & minore: vt si quæratur, eloquentia ne pluris sit, an Iuris ciuilis sciẽtia. De cognitionis quæstionibus hactenus. Actio nis reliquæ sunt: quarũ duo sunt genera, vnũ ad officiũ, alterũ ad motũ animi gignẽdũ, vel sedãdũ, plane ue tollendũ. Ad officiũ sic, vt cũ quæritur suscipiẽdi ne sint liberi. Ad mouendos animos, cũ fiũt cohortationes ad defendẽ dã remp. ad gloriã, & ad laudem: quo ex genere sunt querelæ, incitationes, miserationes q; flebiles, rursusque oratio, cum iracũdiã restinguens, tum metum eripiens, tum exultantem lætitiam comprimens, tum ægritudinem abstergẽs. Hæc, cum in propositis quæstionibus genera sint, eadem in caussas tansferuntur.

Loci

Loci autem, qui ad quasque quæstiones accõmodati sunt, deinceps est videndum. Omnes quidem illi, quos supra diximus, ad plerasque sunt: sed alij ad alias, vt dixi, aptiores. Ad coniecturam igitur maxime apta, quæ ex caussis, quæ ex effectis, quæ ex coniunctis sumi possunt. Ad definitionem autem pertinet ratio & scientia definiendi. Atque huic generi finitimum est illud, quod appellari de eodem & altero diximus: quod genus, forma quædam definitionis est. Si enim quæratur, idẽ ne sit pertinacia & perseuerãtia, definitionibus iudicandum est. Loci autem conuenient in eius generis quæstionem consequentes, antecedentes, repugnantes, adiunctis etiam duobus ijs, qui sumũtur ex caussis & effectis. Nam si hãc rem illa sequitur, hanc autem non sequitur: aut si huic rei illa antecedit, huic non antecedit: aut si huic rei repugnat, illi nõ repugnat: aut si huic rei hæc, illius alia caussa est: aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est: ex quouis horum id, de quo quæritur, idem ne an aliud sit, inueniri potest. Ad tertiũ genus quæstionis, in quo, quale sit, quæritur, in comparationem ea cadũt, quæ paulò ante in comparationis loco enumerata sunt. In illud autem genus,

nus, in quo de expetendo fugiendoq; quæritur, adhibētur ea, quæ sunt aut animi, aut corporis, aut externa, vel commoda vel incommoda. Itemque cum de honesto turpique quæritur, ad animi bona vel mala omnis dirigenda oratio est. Cum autem de æquo & iniquo differitur, æquitatis loci colliguntur: hi cernūtur bipartitò, & natura, & instituto. Natura partes habet duas, tuitionem sui, & vlciscendi ius. Institutio autem æquitatis tripertita est. Vna pars legitima est, altera conueniens, tertia moris vetustate cōfirmata. Atque etiā rursus æquitas tripartita dicitur esse, vna ad superos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Prima pietas; secunda sanctitas tertia iustitia aut æquitas nominatur. De proposito satis multa: deinceps de caussa pauciora dicenda sunt, pleraque enim sunt ei cū proposito cōmunia. Tria sunt igitur genera caussarū, iudicij, deliberationis, laudationis. Quarū fines ipsi declarāt, quibus vtendū locis sit. Nā iudicij finis est ius, ex quo etiā nomē. Iuris aūt partes tū expositæ, cū æquitatis. Deliberādi finis vtilitas: cuius eæ partes, quæ modo expositæ rerū expetēdarū. Laudationis finis, honestas, de qua itē est ante dictū. Sed definitæ

quæstiones

quæstiones à suis quæque locis quasi proprijs instituũtur in accusationẽ defensionẽq; partitæ. In quibus existũt hæc genera, vt accusator personã arguat facti, defensor aliquid opponat de tribus, aut nõ esse factũ: aut, si sit factũ, aliud eius facti nomen esse: aut iure esse factũ. Itaque aut inficialis, aut cõiecturalis prima appelletur, definitiua altera, tertia, quamuis molestũ nomẽ hoc sit, iuridicialis vocetur. Harũ caussarũ propria argumẽta ex ijs sumpta locis, quos exposuimus, in præceptis oratorijs explicata sunt. Refutatio autem accusationis, inqua est depulsio criminis, quæ Græce Stasis dicitur, Latine appelletur status: in quoprimũ insistit quasi ad repugnãdũ cõgressa defensio. Atque etiã in deliberationibus & laudationibus ijdem existũt status. Nam & negantur sæpe ea futura, quæ ab aliquo in sententia dicta sunt fore, si aut omnino fieri non possint, aut sine summa difficultate non possint. In qua argumentatione status coniecturalis existit. At cum aliquid de vtilitate, honestate, æquitate disseritur, deq; ijs rebus, quæ his sunt contrariæ; incurrunt status aut iuris, aut nominis: quod idem contingit in laudationibus. Nam aut negari potest id factũ esse, quod laudatur: aut

aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit:aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non iure factum sit. Quibus omnibus generibus vsus est nimis impudenter Cæsar cōtra Catonem meum. Sed quæ ex statu contentio efficitur, eam Græci Crinomenon vocant:mihi placet id, quoniam quidē ad te scribo,qua de re agitur,vocari. Quibus autem hoc,qua de re agitur, continetur, hæc continentia vocentur, quasi firmamenta defensionis,quibus sublatis defensio nulla sit. Sed quoniam lege firmius in cōtrouersijs disceptandis esse nihil debet, danda est opera, vt legem adiutricem & testem adhibeamus.In qua re alij quasi status existūt noui,sed appellantur legitimæ disceptationes. Tum enim defenditur,non id legem dicere, quod aduersarius velit,sed aliud.Id autem contingit cū scriptum ambiguum sit,vt duæ differētes sententiæ accipi possint. Tum opponitur scripto voluntas scriptoris; vt quæratur, verba ne plus an sententia valere debeat. Tum legi lex contraria affertur.Ita sunt tria genera,quæ cōtrouersiam in omni scripto facere possunt, ambiguum,discrepantia scripti & voluntatis,scripta contraria. Iam hoc perspicuum est, non magis

magis in legibus, quam in testamentis, in stipulationibus, in reliquis rebus, quæ ex scripto aguntur, posse controuersias easdem existere. Horum tractationes in aliis libris explicantur. Nec solum perpetuæ actiones, sed etiam partes orationis iisdem locis adiuuantur, partim propriis, partim communibus: vt in principiis, quibus vt beneuoli, vt dociles, vt attenti sint qui audiant, efficiẽdum est propriis locis. Itemq́ narrationes, vt ad suos fines spectent, id est, vt planæ sint, vt breues, vt euidentes, vt credibiles, vt moratæ, vt cum dignitate. Quæ quanquam in tota oratione esse debeant, magis tamen sunt propria narrandi. Quæ autem consequitur narrationem fides, ea persuadendo quoniam efficitur, qui ad persuadendum loci maxime valeant, dictum est in iis, in quibus de omni ratione dicendi. Peroratio autẽ & alia quædam habet, & maxime amplificationẽ: cuius effectus is debet esse vt, aut perturbentur animi, aut tranquillentur; & si ita iam affecti ante sunt, vt augeat eorum motus, aut sedet oratio. Huic generi, in quo & misericordia, & iracundia, & odium, & inuidia, & cæteræ animi affectiones perturbantur, præcepta suppeditãtur aliis in libris,

quos poteris mecum legere cum voles. Ad id autem, quod te velle ſenſerã, cumulate ſatiſſa ctum eſſe debet voluntati tuæ. Nam ne præterirem aliquid, quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret, plura, quam à te deſiderata erant, ſum complexus: fecicꝙ quod ſæpe liberales venditores ſolent, vt, cum ædes fundum ve vendiderint, rutis cæſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſſa apte, & loco poſitum eſſe videatur. Sic tibi nos ad id, quod quaſi mancipio dare debuimus, ornamenta quædam voluimus non debita accedere.

1 QVæſtionum duo ſunt genera, alterum infinitum, alterum definitum. *Definita quæſtio dicitur, quod definitis circunſtantijs perſonarum, locorum, temporum, actionum, negociorum decernatur: vt, An Gallus Aquilius optimam inſtituendorum poſthumorum formulam tradiderit. Propoſitum, nullam certam circũſtantiam habet, ſed abſolute ponitur. An neceßario ſit poſthumus inſtituendus. Vbi & ſunt circunſtantiæ, ſed indeterminatæ. Atque hoc eſt quod Cicero ait. Nec tamen in maximis. Maximas circunſtantias vocans certas & expræſſas.*

2 Itaque propoſitum pars cauſſæ eſt. *Quia quæſtio infinita,*

infinita, in quæstione definita comprehenditur, sicut genus in specie. Nam ut species, & genus & differentias habet: ita caussa, propositum & circunstantias. Unde si sit caussa, An Marcellus præteritus agere possit de iniusto Sẽpronij parentis testamento. Primum quærendum propositum, An filij necessario sint instituendi, vel exheredãdi. Nam si probetur id non esse necessarium, patebit, Marcello actionem non esse. Atque hoc modo hunc locum interpretandũ, ex ijs quæ lib. secundo de Oratore, & in Partitionibus Cicero scribit, constat manifestius.

Quæstionum genera.
- *Definitum. Idest Caussa, quæ cernitur in*
  - *Personis*
  - *Locis*
  - *Tẽporibus*
  - *Actionibus*
  - *Negocijs*
- *Infinitũ Idest propositũ, quod cernitur vel in aliquo, vel in pluribus, ut caussa: nec tamen in maximis. Unde pars caussæ dicitur.*

Sed omnis quæstio. *Scilicet infinita* 3

Earum aliqua de re est, quibus caussæ continentur. *Idest, easdem latentes habet circunstantias, quas quæstio definita, siue caussa.* 4

Vt si quæratur, à natura ne ius profectum sit. 5

lus, constet ne opinione vel natura, Plato disputat lib. primo de Rep. & Connanus lib. primo Comment. Iuris ciuilis, cap. primo.

6 Cum autem quid sit quæritur, notio explicanda est: & proprietas, & diuisio, & partitio. *Notionem ad genus: proprietatem ad differentiam, diuisionem ad formas: partitionem ad partes pertinere, Visorius & Latomus scribunt.*

7 Hæc enim sunt definitioni attributa. *Supra in tractatione definitionum, est tamen, inquit, quædam conformatio insignita & impressa intelligentia, quam notionem voco, ea sæpe in argumentãdo, definitione explicanda sunt. Atque etiam definitiones aliæ sunt partitionum, aliæ diuisionum. Legenti igitur illa, hic locus erit facilimus.*

8 Additur etiam descriptio quam græci Charactêra vocant. *Recte Petrus Victorius pro, Catagraphin, posuit Charactêra, quod & sequutus est Paulus Manutius: Nam in Oratore, idem Cicero scribit: sed iam ipsa forma restat, & Charactêr ille qui dicitur: qui qualis esse debeat, ex ipsis quæ supra dicta sunt intelligi potest. Et lib. secundo Ep. ad Q. fr. in fine. Dic mihi verum, num aut res eum, aut Charactêr non delectat? Nihil est quod vereare.*

9 Sit ne id æquum, quod ei, qui plus potest, vtile est. *Id affirmabat Trasymachus apud Platonem lib. primo. de Rep.*

Quæstio

- *Quæstio finita seu infinita refertur vel ad.*
  - *Cognitionem cuius finis est scientia.*
    - *An sit. Idest coniectura cuius partes*
      - *1. Sit ne aliquid*
      - *2. Vnde ortum*
      - *3. Quæ causa effecerit.*
      - *4. In qua de mutatione rei agitur.*
    - *Quid sit, idest definitio: Cuius partes sunt.*
      - Notio
      - Proprietas
      - Diuisio
      - Partitio
      - *Descriptio*
    - *Quale sit. Idest iuris & iniuriæ distinctio, ea fit*
      - *Simpliciter.*
        - *De expetẽdo & fugiendo.*
        - *De æquo et iniquo*
        - *De honesto et turpi.*
      - *Comparate.*
        - *De eodem & alio*
        - *De maiore & minore.*
  - *Actionem. Cuius duo genera referuntur vel ad officium, vel ad motum animi gignendum, sedandum, vel plane tollendũ.*

10 Hæc cum in propositis quæstionibus genera sint, eadem in caussas transferuntur. *Idest, hæc omnia quæ de thesi sunt dicta, ad Hypothesin quoque trãsferri possunt.*

11 Ad coniecturam igitur maxime apta, quæ ex caussis, quæ ex effectis, quæ ex cõiunctis sumi possunt. *Sic supra in tractatione loci ab adiunctis. Sed*

locus hic magis ad coniecturales caußas, quæ versantur in iudicijs valet, cum quæritur quid aut sit, aut euenerit, aut futurũ sit, aut quid omnino fieri poßit. Et in Partitionibus. In coniectura igitur, inquit, cum est in inficiando reus, ac cusatori hæc duo prima sunt, sed accusatorẽ pro omni actore & petitore appello: poßunt enim etiam sine accusatore in caußis hæc eadem controuersiarum genera versari: sed hæc duo sunt ei prima, caussa & euentus. Caussam appello rationem efficiendi; Euentum, id quod est effectum.

12 Ad definitionem autem pertinet ratio, & sciẽtia definiendi. Atq; huic generi finitimum est illud quod appellari de eodem & altero diximus. *Certe paulò ante ad qualitatem dixit pertinere. Ex altero autem genere, inquit, quod erat bipartitum, vnum est de eodem & alio. Hic vero & in Partitionibus, definitioni hæc tribuit. Atque vtrunque, vt Visorius scribit, verum est: idem enim & diuersum duobus modis accipiuntur: secundum substantiam, & secundum accidens. Secundum substantiam, idem & diuersum ad definitionem pertinent: nam quæ sunt eadem, eorum est eadem substantia & definitio. At quod secundum accidens vel idem, vel diuersũ est, qualitati tribuitur.*

13 Si enim quæratur, idem ne sit pertinacia, & perseuerantia, definitionibus iudicãdum est. *De pertinatia Aristoteles lib. secundo Ethic. Et Cicero lib. primo de Offic. Pertinatia est absque ratione stabilis & perpetua mansio. Et lib. secundo de Inuẽtione. Perseuerãtia est in*

est in ratione bene considerata stabilis & perpetua mansio. Et Varro de lingua latina ad M. Tullium lib. quarto. Quom vniuscuiusque verbi naturæ sint duæ; á qua re, & in qua re vocabulum sit impositum (itaque á qua re sit pertinatia, cum quæritur; ostenditur esse á pertendendo, in qua re sit impositum, dicitur; cum demonstratur, in quo non debet pertendi, & pertenditur; pertinatiam esse: quod in quo oporteat manere, si in eo perstetur, perseuerantia sit.)

- Aequitas quæ erga.
  - Superos, Pietas.
  - Manes, Sāctitas.
  - Homines, Iustitia.
  - Dicitur. Bipartito cernitur.
    - Natura, quæ duas habet partes.
      - Tuitionem sui.
      - Vlciscendi ius.
    - Instituto, quæ vel.
      - Legitima.
      - Cōuentis instituta
      - Moris vetustate confirmata.

De æquitate & eius partibus diximus satis multa ad legē 14
primam Digestorum, lib. quarto de Iuris definitione.
Iudicij finis est ius. Deliberandi finis vtilitas. 15
Laudationis finis honestas. *Frequentissima, pro solis comprehendit, quia licet omnia, omnibus caussis, tamen alia alijs aptiora. Atque id est quod Quintilianus lib. tertio, cap. quarto. Ne his quidem inquit, accesserim, qui laudatiuā materiā honestorum; Deliberatiuam vtiliū; Iudicialē iustorum quæstione cōtineri putant: celeri magis ac rotunda vsi distributione, quam vera. Stant enim quodammodo*

mutuis auxilijs omnia. Nam & in laude Iustitia vtilitasq; tractantur: & in consilijs honestas: & raro iudicialem inue neris caussam, cuius non parte aliquid eorum, quæ supra di ximus reperiatur. Illud quoque quod Cicero in Partitionibus, Delectationẽ in laude, Spem & metum in suasione, se uitiam & misericordiam in accusatione, fines posuit: non de caussarum, sed de motuum finibus dictum, Visorius notat.

16 Refutatio autẽ accusationis, in qua est depulsio criminis quæ græce Stasis dicitur, latine appelletur status: in quo primum insistit quasi ad repugnãdum congressa defensio. *Quintilianus lib. tertio, cap. septimo. Vnde ducatur status, & reus an actor statum faciat. Alij, inquit, statum crediderunt, primam eius cum quo ageretur deprecationem vel depulsio nem. Quam sententiam his verbis Cicero amplectitur. In quo primum insistit, quasi ad repugnandum cõgressa defensio. Et lib. secundo de Inuentione, scribit, in omni caussa esse intentionem, depulsionem, quæstionem, rationem, infirmatio nem rationis, iudicationem. Idest in omni caussa esse statum, sed eum magis in concertando apparere. Omnem que orationem circa coniecturam, finitionem & qualitatem ver sari: & quæ ex depulsione nascatur quæstionem, statum di ci: sed & hunc in certaminibus, in aliam quæstionem descẽ dere, quæ hinc inde ex firmamentis nata, appelletur iudicatio. Eam hoc loco Cicero, quod ad Trebatium scribat, rem de qua agitur, vocat.*

Atque

Atque etiam in deliberationibus & laudatio 17
nibus ijdem existunt status. *In eadem sententia est Quintilianus lib. tertio. cap. sexto inquiens. Statum nonnulli ad iudiciales tantum pertinere materias putauerunt. Quorum inscitiam, cum omnia tria genera fuero executus, res ipsa deprehendet.*

Quibus omnibus generibus vsus est nimis 18
impudenter Cæsar contra Catonem meum. *Plutarchus scribit, Cæsarem duos libros scripsisse Anticatones, in Vticensem, quem Cicero laudauerat. Et Quintilianus lib. tertio cap. nono. Itaque, ait, vt non consensi, hoc laudatiuum genus circa solam versari honesti quæstionem: sic qualitate maxime contineri puto: quanquam omnes tres status cadere in hoc opus poßint, ijs que vsum C. Cæsarem in vituperando Catone, notauerit Cicero.*

Quibus autem hoc qua de re agitur, contine- 19
tur, hæc continentia vocentur: quasi firmamẽta defensionis, quibus sublatis defensio nulla sit. *Imo firmamentum accusatoris esse, aduersus rationem defensoris, idem Cicero scribit in Partitionibus, inquiens. Rationem appellamus eam, quæ affertur à reo, ad recusandum, depellendi criminis caussa. Quæ nisi esset, quid defenderet nõ haberet. Firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest. Ex rationis autem & ex firmamenti conflictatione & quasi concursu, quæstio exoritur quædam quam*

disceptationem voco: in qua quid deueniat in iudicium, & de quo disceptetur, quæri solet. Vnde Quintilianus lib. tertio, cap. decimo tertio tractans, Quid quæstio, & quæ sit ratio, iudicatio, continens, & quatenus necessaria. Paulum in his, inquit, secum etiam Cicero dissentit. Nam in rhetoricis quemadmodũ supra dixi, Hermagoram est secutus, in Topicis ex statu effectam contentionẽ Crinomenon existimat. Idq; Trebatio qui Iuris erat consultus, alludens, qua de re agitur appellat, quibus id contineatur, continentia, quasi firmamenta defensionis, quibus sublatis defensio nulla sit. At in Partitionibus Oratorijs firmamentum, quod opponitur defensioni, quia continens quod primum sit, ab accusatore dicatur, ratio à reo, ex rationis & firmamẽti quæstione disceptatio sit iudicationum. Sed profectò istam contradictionẽ non multum habere momenti, atque anxiam istam & scrupulosam verborum obseruationem, non esse quod nos torqueat, verba ipsa Ciceronis eodem loco subindicant. Itaque ea, ait quæ sic referuntur, continentia caussarum vocẽtur, quanquam non ea magis, quæ contra rationem defensionis afferuntur, quam ipsæ defensionis rationes continent caussas, sed distinguendi gratia rationem appellemus eam quæ affertur à reo. Et idem Quintilianus vbi supra. Verũ hæc, ait, affectata subtilitas circa nomina rerum, ambitioso labore à nobis in hoc assumpta solum, ne parum diligenter inquisisse de opere, quod aggreßi sumus, videremur. Simplicius autẽ instituenti non est necesse per tam minutas rerum particulas, rationem docendi concidere.

In qua

In qua re alij quasi status existunt noui:sed ap 20
pellentur legitimæ disceptationes. *Exẽpla sunt in libro primo ad Herenium,& in libris de Inuentione. Et apud Quintilianum,libro septimo.*

Ita sunt tria genera, quæ controuersiam in 21
omni scripto facere possunt,ambiguum, discrepantia scripti & voluntatis,scripta contraria. *Sic etiam in Partitionibus,& in libris de Oratore. At in libris de Inuẽtione,& Quintilianus lib.septimo cap. nono. Quartum genus addunt ratiocinationem.*

Iam hoc perspicuum est,non magis in legibus 22
quam in testamẽtis, in stipulationibus,in reliquis rebus quæ ex scripto aguntur,posse controuersias easdem existere. *De eadẽ re agens Quintilianus scribit. Lib.7.cap.sexto. Quod de legibus dico, idem accipi volo de testamentis,pactis,stipulationibus,omni denique scripto:idem de voce.*

Feci quod sæpe liberales venditores solent,vt 23
cum ædes, fundumue vendiderint,rutis cæsis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi caussa apte,&loco positum esse videatur. *Sic lib.secũdo,de Oratore. An Iure ciuili? Est paternum,sed dicet te,cum ædes venderes,ne in rutis quidẽ & cæsis solium tibi paternum recepisse. Et in Partitionibus. Cũ ex testamẽtis quæritur quid sit penus: aut cum ex lege prædij quæritur,quæ sint ruta cæsa. Ruta cæsa,sine copula*

copula à veteribus pronunciabantur, sicut et alia multa. Sic autẽ, Festo autore dicebantur, quæ venditor possessionis, vsus sui caussa conciderat, ruendaq; cõtraxerat quasi eruta. Quod & Nonius Marcellus annotauit. Est autem illud .u. productũ, vt Varro scribit lib. octauo de lingua Latina. In lege fundi, inquit, ruta cæsa ita dicimus vt, u, producamus. Recipere est, vt Nonius Marcellus ait, exceptũ facere. Et Gellius, quãdo mulier, inquit, dotẽ marito dabat, tũc quæ ex suis bonis retinebat, neque ad virum trãsmittebat, ea recipere dicebatur: sicuti nũc quoq; in vẽditionibus quæ excipiũtur neque væneunt. Quid vero, rutis cæsis receptis, cõtineatur, sequẽtibus Iurisconsultorũ respõsis manifestũ erit: quæ Budæus etiã in annotationibus prioribus ad Pandectas. Alciatus in .l. in rutis cæsis. ff. de verb. sig. Cõnanus lib. 7. Cõmentariorũ Iuris ciuilis cap. 7. Hotomanus de Verbis iuris: & Brissonius lib. 16. de Verborum quæ ad ius pertinent significatione, notauerunt. Vlpianus lege decima septima. §. tertio. ff. de actionib. empt. Si ruta & cæsa excipiantur in venditione, ea placuit esse ruta, quæ eruta sunt: vt harena, creta, & similia. Cæsa ea esse, vt arbores cæsas, & carbones, & his similia. Gallus autem Aquilius, cuius Mela refert opinionem, recte ait, frustra in lege venditionis de rutis & cæsis contineri: quia si non specialiter vænierũt, ad exhibẽdum de his agi potest. Neque enim magis de materia cæsa, aut de cæmentis, aut de arena cauendum est vẽditori, quã de cæteris quæ sunt pretiosiora. Iabolenus lege decima octaua, eo. tit. Granaria quæ ex tabulis

fieri

fieri solent, ita ædium sunt, si stipites eorum in terra defossi sunt: quod si supra terram sunt, rutis & cæsis cedunt. Tegulæ quæ nondum ædificijs impositæ sunt, quamuis tegendi gratia allatæ sunt, in rutis & cæsis habentur. Aliud Iuris est in his, quæ detractæ sunt vt reponerentur, ædibus enim accedũt. Põponius lege sexagesima sexta. ff. de. cõtr. empt. Quintus Mucius scribit; qui scripsit, Ruta cæsa quæque ædiũ fundiue non sunt. Bis idem scriptum: nam ruta cæsa ea sunt, quæ neque ædium, neque fundi sunt. Scæuola, lege ducentesima quadragesima prima. ff. de verb. sign. In rutis cæsis ea sunt, quæ terra non tenentur, quæque opere structili, tectorio ve non continentur.

BENEDICTIO ET CLARITAS, ET SAPIENTIA, ET GRATIARVM ACTIO, HONOR, VIRTVS, ET FORTITVDO DEO NOSTRO IN SECVLA SECVLORVM. AMEN.

INDEX EORUM quæ in hoc opere continentur.

A.

Aedi-

D.

Dominium

H.

I.

Legem

M.

Mutuum

N.

O.

P.

Propositum

Similitu-

T.

V.

Vxor

HISPALI

Apud Alfonsum Escribanum, Typographum.

1573.